

JACOBI VVILHELMI FEVERLINI
PHILOSOPHIAE PRIMAE ET RATIONALIS
PROFESSORIS PVBLICI
OBSERVATIONES ECLECTICAE
EX CONTROVERSIIS
DE
METAPHYSICA
LEIBNITIO-WOLFIANA
ACCREDIT EIVSDEM
DISSERTATIO LOGICA
DE
METHODO MATHEMATICA

AL TORFII NORIC.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

RECUSA 1737.

10. XXXIII. 47.

Coll. diss. A
33, 47



*PERILLVSTRI, GENEROSISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DOMINO FRIDERICO GOTTHILF
MARSCHALL
DICTO GREIFF,
EX EQVESTRI IMMEDIATO FRANCO-
NICO ORDINE,
DYNASTAE IN EINOED, ERLEBACH
OSMANSTAEDT ETC.
SERENISSIMI DVCIS SAXO - VINARIENSIS
PRIMO STATVS MINISTRO,
CNSILIARIO INTIMO, CANCELLARIO,
ET AERARII PROVINCIALIS DIRECTORI PRIMO,
PRAEFECTVRARVM ROSLENSIS ET GEBSTADIENSIS
CAPITANEO SVPREMO,
ET CVRIAEC PROVINCIALIS SAXONICAE,
QVAE IENAE EST, ASSESSORI,
*DOMINO MEO PER QVAM GRATIOSO,**

IN QVO

CVM MAIORVM MERITIS PROPRIAS VIRTUTES,
CVM AVLICIS VIRTUTIBVS SINCERAM PIETATEM,
CVM PRUDENTIA POLITICA SPECULATIONES PHILOSOPHICAS,
CVM PLVRIMIS GRAVISSIMISQUE NEGOTIIS VARIAM ERUDITIONEM,
CVM GRAVITATE HUMANITATEM,
RARISSIMA CONIVNCTIONE,
FELICISSIME COMBINATAS
CONSPICIVNT, SVSPICIVNT, MIRANTVR
INCOLAE, EXTERI,
ORBIS CIVILIS, ECCLESIASTICVS, LITTERARIVS,
CELEBRABIT POSTERITAS.

QVEM MAECENATEM DEVS BONIS LITTERATISQUE
OMNIBVS, MIHI ETIAM SERVET QVAM DIVTISSIME!

MEDITATIONVM MEARVM PHILOSOPHICARVM,
QVAS ESSE ALIQVID REPVTARE GRATIOSE SOLET,
SPECIMINA ALIQVOT
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA ET SVBMISSIONE

D. D. D.

JACOBVS WILHELMVS FEVERLINVS, P. P.

PRAEFATIO.

Post tot acta scripta Eristica, quæ occasione Metaphysicæ Leibnitio-Wolffianæ hucusque prodierunt, & nunc cessare incipiunt, meas Observationes de iisdem uno fasciculo collectas, publici juris facio. Prætermis ferme consequentiis & comparationibus ejusdem cum Systematibus hereticorum atque profanorum hominum, doctrinas ipsas earumque fundamenta, sine partium studio, solo veritatis amore ductus, maxime consideravi, atque dispersam veritatem Eclectico more conquisiui cumque ex labore hoc (qui sane non exiguis erat, siquidem neque paucos neque paruos libros primum, sensus indagandi causa, omnium attentione evolvere atque revolvere, deinde inter se pari circumspectione compare oportuit, antequam sententiam liceret ferre) non contemnendos fructus in veritatum gravissimarum cognitione, demonstracione, confirmatione percepimus, eosdem Philosophia & cultoribus ea, quæ in Orbe litterario locum merito obtinet, libertate & modestia communico, eum unice in finem, ut Eclecticas ipsorum de argumentis utilissimis & maxime necessariis meditationes facilitatem atque promoteam. Parum ergo aut nihil meæ meditationes pertinent ad IPSOS CELEBERRIMOS CONTROVERTENTES, quos neque docere neque refutare cupio; nihil meus dissensus derogat venerationi, quam meritis IPSORVM in rem litterariam debeo; non sumo mihi arbitri partes; nemini meas sententias obtrudo; dissensiones & refutationes aquissimo feram animo, ex iisdem proficiam, tique, si opus fuerit, occasione data, de iisdem sententias meas exponam. Brevitati autem variis ex causis studui, ut sapissime unico verbulo argumentum integrum aut fons solutionis argumento contrario oppositus comprehendatur; jure igitur postulo, ut, qui observationes has cum frueu legere, atque solide dijudicare, maxime auctem, quirefutare easdem cupit, præter attentionem ac patientiam,

PRAEFATIO.

animum Philosophia non leviter tinctum, in lectione scriptorum VTRIVSQUE PARTIS sedulo versatum, regularum disputandi (secundum quas etiam scripta Eristica sunt dijudicanda) bene gnarum, a partium studio alienum, & sincero veritatis amore imbutum secum afferat; qui sine hisce subsidiis refutationem mearum observationum suscipiet. Andabatarum more pugnabit, nonnisi ignorationes Elenchi opponet, meque ad disputandum non provocabit. Dum hæc scribo, commode mihi communicatur M. JAC. CARPO VII Diss. de Quæstione: Vtrum tellus sit Machina, an animal? Jenæ edita M. Octobr. a. 1725. cuius §. VIII. not. (b) contra meam de Principio rationis sufficientis sententiam, §. XV. not. (b) contra aliquam mearum observationum de Mundo, an sit Machina? Objectiones nonnullæ proferuntur; quamvis vero pleraque modo regensita requisita Auctori deesse, atque in primis sectæ studium animadvertisam, ob gravitatem tamen argumentorum de quibus disputat, paucis respondebo. De Principio rationis sufficientis observo 1) Experientiam LEIBNITII unicum, WOLFFII & THVM-MIGII præcipuum esse argumentum, sufficiebat ergo hujus ostendisse insufficientiam: poteram supersedere omni probationum examine, cum conclusionis falsitatem ostenderim; poteram tamen & possem nunc, nisi spacii fuisset & esset habenda ratio, reliqua argumenta indirecta WOLFFII prolixius labefactare, quorum alterum nititur absurditate hujus Theseos: Ex nihilo aliquid fit (quætamen ita est ambigua, ut altero sensu verissima sit, altero falsissima) alterum ita particulare est, ut universalitatem Principii rationis sufficientis minime possit demonstrare; ne dicam, quam suspecta sit veritas Principii, quæ tot argumentis indiget atque probari petest. 2) Dissertatio Dn. Opponentis, ad quam non sine ostentatione provocat, de Principio rationis sufficientis, nondum mihi erat cognita, imo vix innotescere potuerat, cum Specimen. I. observ. harum edidisset; neque argumentum citato §. 15. exhibitum differt a Wolffiano indirecto priori, cuius refutationem modo indicavi. 3) Principium essendi & cognoscendi ita

PRAEFATIO.

ita differunt, ut, quod respectu $\tau\delta$ esse sit principiatum, respectu cognitionis principium esse possit: e. g. fumus respectu ignis, Mundus respectu Dei esse potest Principium cognoscendi. Misera igitur est definitio generalis rationis, quæ diversissima hæc principia, ceu species complectitur. 4) Principium est Axioma h. e. Propositio ex Subjecti & prædicati definitionibus solis ita evidenter & necessario vera, ut contrarium ejus absurdum sit, contradictorium, impossibile, h. e. cogitari nequeat, id quod cum Logicis omnibus agnoscit D. N. WOLFFIVS Log. cap. 3. §. 9. cap. 5. §. 1. 2. & alibi. Ergo, cum contrarium Principii, ut vocant, rationis sufficientis, non sit absurdum sed possibile h. e. cogitabile, ipsa hæc Propositio non est Principium. Contra hanc meam argumentationem disputaturus variis modis contra Logicam & Metaphysicam omnem, in primis autem Wolffianam, impingit Dn. Opponens. Primum distinguit inter cogitabile & non contradictorium. Deinde desiderat probationem hujus Propositionis: Omne, quod cogitari potest, verum est, atque superflua opera instantias quasdam profert, quibus, nescio contra quem? evincat, a possibiliate ad veritatem non valere consequentiam. Tandem Präjudicium auctoritatis & vim præconceptæ opinionis luctuissime prodit, dum Propositionem Principio rationis sufficientis oppositam contradictoriam esse statuit, ob argumentum aliquod, contra internam experientiam, qua consciū nobis sumus, cogitabilem esse modo nominatam Propositionem, cum tamen contradictorium sit, Propositionem aliquam esse contradictoriā, & hanc contradictoriam ejus absurditatem argumentis probari. 5) Principium rationis sufficientis, sive de Principio essendi, sive de Principio cognoscendi intelligatur, instantiis aliisque rationibus falsitatis argui potest, ergo in universum est falsum. Quoad prius manifestissimam instantiam supeditat Deus, qui caret Principio essendi, & quamvis sit Ens a se, in sensu tamen negativo tantum est, adeoque per principium contradictionis non potest simul esse a principio essendi. Quoad posterius, quando Dn. Opponens concedit το οτι sciri posse, quamvis

PRAEFATIO.

vis to dotti nesciatur, Grece concedit, quod Latine negat: Principium enim, quod refutavi, ita se habebat: Si aliquid ponatur esse, semper erit aliquid, unde INTELLIGI POTEST. CVR illud sit. Firmo etiam stant tali instantia meæ a libertate Dei & hominis, siquidem citationibus contrariis oppono citationes Speciminis mei III §. 11. & VI. §. 6. Firma etiam adhuc est instantia a Phantasmatibus in somnio, quæ revera existunt, &, quamvis causas habeant, habent tamen nobis incognitas. Ergo datur aliquid, cuius non est ratio, unde intelligatur, cur potius sit, quam non sit. 6.) Concedo Principium aliquod rationis sufficientis, si primum de iis rebus tantum accipiatur, quas effectus esse aliunde novimus. & de solo Principio effendi intelligatur; v. Specimen meum VI §. 2. not. d) & conf. Diff mea Logica de Methodo Mathem. §. 9. concedo etiam de principio cognoscendi sub similibus limitationibus posse intelligi & adhiberi, ita ut eo ipso moneamur, non esse acquiescendum quibusunque ratione calis, sed firma querenda esse argumenta Quod attinet ad meam sententiam de Mundo, quam machinam esse nego, in consideratione ejusdem negligentissimus est M. CARPOVIVS, quamvis Dissertationi Ipsius posteriori integræ e Diametro repugnet: omissis enim argumentis meis præcipuis, & primo loco positis, secundaria, eaque mutilata, profert, & a WOLFFIO refutata esse perhibet, lectoribus suis mala fide persuasurus, mea argumenta jam dudum refutata, neglectis his refutationibus, repetiisse, cum tamen non Wolffianarum tantum responsionum, sed Bulffingerianarum etiam, quæ sunt speciosissimæ rationem habuerim, iisdemque fontes solutionum ipso citato Specimine II. & citato §. 6. ejusque notis opposuerim. Altiorii d. XIII. Martii. A. CLO I C CCXXVI.

NOMINA DNN. RESPONDENTIVM.

- I. GEORGIVS MARTINVS RAIDELIVS, Norimbergensis.
- II. VALENTINVS KOESLERIVS, Norimbergensis.
- III. IOHANNES ALBERTVS SPIES, Norimbergensis.
- IV. FRIDERICVS PAVLVS STOV, Hersbrucco Noticus.
- V. IOHANNES VVILHELMVS GOLLING, Norimbergensis.
- VI. IOHANNES HENRICVS FVRVVERGER, Norimbergensis.
- VII. CHRISTOPHORVS ANDREAS BVTTNER, Norimbergensis.

SLUB

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM
 DE
 METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFIANA
 SPECIMEN I. ONTOLOGICVM.

§. I.

VT Controversiæ doctrinis Metaphysicis Virorum Celeberrimorum Leibnitii & Wolffi motæ intimius cognosci, atque pro usibus Eclecticis solidius dijudicari possint, Prolegomena Metaphysices h. e. indolem scientiæ, objectum, fundatum, finem, primum considerare oportet.

§. II.

Metaphysica Wolffiana intra terminos Ontologiæ non continetur, a) sed Pneumatologiam ac Theologiam Naturalem b)
 &, quod plane ipsi est singulare, Cosmologiam transcendentalem c) præterea comprehendit.

- a) Id quod neque ab omni usu alienum est, neque rationibus Prudentiæ Didacticæ destituitur. v. Jac. Thomasi Hist. Metaph. §. 58. Junkeri Lin. prim. Erud. in Hist. Metaph. & Stollii Hist. litterar. p. 466. sq.
- b) Has pleraque Compendia & Systemata Metaphysices Scholastica compleantur; quibus ex causis & erroribus, Thomasius docet lib. cit.
- c) v. Ipsius Dn. Wolffii Commentatio de differentia nexus rerum sapientis & fatalis necessitatis §. 2.

§. III.

De Theologiæ Naturalis, Pneumatologiæ & Cosmologiæ necessitate dubitare sapiens nequit; Ontologiæ autem necessitas atque realitas a) ex ipsis his Controversiis manifestissime elucescunt, dum illarum realissimarum scientiarum doctrinæ ex hac deduci, approbari vel improbari postulant: unde faciliter colligitur opera, reliquarum etiam scientiarum ultima fundamenta in Axiomatibus, & quibus haec constant, ideis universaliibus h. e. Metaphysica strictius dicta, sive Ontologia esse quaerenda. b)

- a) Ergo Metaphysica non est metum Lexicon Philosophicum.
- b) v. Ratio Prælectionum Wolffianarum Sect. 2. Cap. 3. §. 61, & 66. conf. Verulamius de Augment. scient. lib. 3. c. 1.

§. IV.

Fines isti ut obtineantur, nominatas modo scientias summa

A

accu-

accuratione pertractare, & a corruptelis, quibus Ontologia cum primis hodienum scatet, a) liberare oportet.

a) Tanta est hæc corruptio, ut non pauci eruditorum in id inde delapsi fuerint extremum, ut omnem Ontologiam e numero scientiarum eliminandam duxerint, severanmis sententia. v. Ratio Præl. Wolff. de Metaph. §. 1. conf. si placet, Observationum mearum & Emendat Metaph. Specimen I, in præf.

§. V.

Medelam petierunt III. Leibnitius & Celeberrimus Wolffius ex demonstrationibus Mathematicis & Algebra; ita tamen, ut mediante abstractione & argumentatione a specie ad genus generales demonstrandi & inveniendi in omni Philosophia regulas quærendas duxerit Wolffius.

in Comment. §. 1. male igitur Autor Dialogi Germ. de Scriptis Eristicis. Dn. Buddei & Dn. Wolffii p. 14. huic V. Cl. tribuit, sine abstractione Methodum Mathematicam aliis scientiis applicare voluisse.

§. VI.

Prætereo nunc controversiam de discrimine methodi Philosophicæ & Mathematicæ; a) quæstionem de aptitudine vel ineptitudine ingenii Mathematici ad speculationes Metaphysicas; b) miserum pro certitudine Mathematica argumentum a defensu controversiarum petitum; c) fallacias & errores in demonstrationibus Mathematicis æque ac in aliis reperiundos, discrimen methodi sive externi schematis, sape tædiosi in ipsa Mathesi, a demonstratione sive probandi nervo; nimium in probando, Propositiones identicas, vacuos characteres & terminos, aliaque, quæ Mathematicis nonnullis exprobrantur, de quibus omnibus alia agemus occasione. d)

a) quod nimium faciunt Rudigeriani, v. Poppii Spinozismus detectus: maxima controversiae pars est Logomachia: post Physicam Mathesi plurimum debere Logicam, historia hujus disciplinæ docet.

b) Anonymus in Harmonia recentiorum Philosophorum secum pugnante p. 96. quæstionem hanc movit, prolató loco Cartesii ex Epist. 33. Part. 2. cum quo conf. §. 861. Metaphysicæ Wolffianæ, citatus a Walthero in Eröffnungen Eleaticischen Græber p. 33. edit, post, & alias locus e præf. Metaph. repetitus in D. Joach. Langii *ausführl. Entdeckung* p. 266.

c) resolvitur enim in Præjudicium consensus & autoritatis.

d) forte peculiari diff. de Methodo Mathematica, vid, interini Crousa Logicæ Gallicæ p. 96, 1348. 1382, edit, secundæ.

§. VII.

§. VII.

Paucis moneo, in Ontologia, quæ ideis universalibus, definitionibus, divisionibus & Axiomatibus unice occupatur, Methodi Mathematicæ exiguum aut nullam esse posse utilitatem: hujus enim vis in ratiociniis consistit, quibus primaria Ontologiæ objecta non indigent.

§. VIII.

Maxime autem observandum duco, Geometriæ a) Theoreticæ objecta esse facta, b) nihilque requirere, quam ut cogitari possint, contradictionem non involvant, h. e. possilia sint: quare Leibnius c) & Wolffius, d) ut non Metaphysicam tantum, sed omnem etiam Philosophiam ad certitudinem veritatum Geometricarum eveherent, ens in genere, eoque ipso omnia Philosophica objecta in possibile transformarunt.

a) in hac enim optima Methodi Mathematicæ (quæ ex hoc capite etiam Geometrica dici solet) specimina quæruntur.

b) lineæ enim sive rectæ sive regulares curvæ (ex quibus figuræ, sicut ex figuris corpora componuntur) intanta accuratione concipiuntur, ut tales dari vel fieri posse vix sit credibile, adeoque applicatio & examen Theorematum in Geometria Practica exacte institui nequeant. Hebetudo tamen oculorum non armatorum ideas has admodum promovet & facilitat.

c) in Epistola excerpta in Memoires de Trevoux, a. 1701, m. Sept, & Oct. Art. 23, & in Médiat. de Cognitione, Veritate & Ideis in Act. Erud. Lips. a. 1684. p. 537.

d) cui ens est possible in Metaph. §. 16. Philosophia scientia possibilium im Vorbericht der Logique §. 1. definitio realis docet rationem, qua aliquid possibile est. Log. c. 1. §. 38.

§. IX.

Philosophus nimis Irenicus arbitrio cuivis id relinquenter, cumque vocabulum Entis admodum ambiguum sit, & inter alia possibile designet a) dissensum Logomachiis annumeraret. Ast, quando finem b) vel solius Ontologiæ consideramus, h. e. applicationem in quibuscunque scientiis aliis, quarum objecta sunt realia, actu existentia, e. g. Deus, divinæ leges, corpora, homines, necessarium deprehendimus, ut objectum Ontologiæ sit ens reale actu existens c).

- a) v. B. Rötenbeccii Log. Q. 220, ubi Arriaga in disp. Metaph. consentiens, Voetius autem in Philos. Reform. dissentiens citantur.
 b) unde definitiones pragmaticas petendas esse, ipse Dn. Wolffius in Annotationibus ad Responsum Buddeanum p. 42. docet.
 c) adhæc possibile in mera negatione & non-repugnantia consistit, ad solas compositas ideas quadrat, relatio est, quam Logica Crosiana pluribus explicat Part. I. Sect. II. C. I. §. 9. hæc observatio eo magis est necessaria, quo minus in Philosophia Wolffiana relationum indoles et discrimen obseruantur. conf. Jac. Thomasi Dilucidationes Stahlianæ, Thesaurus Historiæ Metaphysicæ, ad Regul. Essentiæ rerum sunt æternæ, p. 49. n. 69. sqq. ubi probat, Scholasticos plerosque, quod Ens & possibile in eundem censem conjecterunt, in eo vehementer & αΦιλοσοφως abusos esse tum Entis, tum Possibilis vocabulo, quod ab æquivocis non sit abstrahendum; ens autem potentiale æquivoce Ense est, siquidem potentiale qua tale terminus est alienans, seu id, quod præcedit, negans: sicuti potentia dives reveræst non-dives: unde concludit novum incommodum, quod Dens, ens infinitum & incomparabiliter excellens una cum non-entibus quibusdam in eandem abstractionem detrudatur: evolvi etiam meretur n. 96. p. 63. & sqq.

§. X.

Cum possibiliitate hac cohæret differentia essentiæ atque existentiæ eousque extensa, ut hæc sola a voluntate divina, illa ab intellectu divino antecedenter ad omne decretum derivari, atque necessaria & æterna statui debeat.

v. Ratio Prælect. Wolff. Metaph. §. 9. 10.

§. XI.

Non nego, essentiam sine existentia cogitari posse; sed talis essentia est ficta, atque ab Ontologiæ scopo aliena a): existentia autem sine essentia nominari, cogitari non potest b).

a) per §. IX.

b) Si enim sine omni essentia de sola existentia rei cuiusdam cogitarem, ne scirem an Dei, an Centauri existentiam quærām? Ceterum Scholastici multum disputatione, an & quomodo, in primis an realiter differant essentia & existentia? Plerosque negare, Thomam differte affirmare, Scoto distingui distinctione sua formalis ex natura rei, obseruat Ant. Goudin in Philosophia Thomistica P. IV. p. 208. sqq. edit. Colon. 1704. Jac. Thomas. Dilucid. Stahl. p. 33. Nominalium, inquit, sententia, quod essentiæ rerum minime sint æternæ, plane nihil habet difficultatis, tantum si observes; quod ipsi firmissimis argumentis demonstrant, essentias illas rerum ab earundem existentiis realiter non differre. Quod autem nihilominus æternitatem

^{essen-}

et essentiis vindicare conati sunt Thomas & Scotus, amore Aristotelis factum
dixerim, cuius conclusionem utcunque defendere, tametsi medium termino
num (æternitatem Mundi sensibilis) non probarent, pulchrum putavere.
Verum sic sunt simul coacti & essentias creaturarum ab existentiis divellere,
et eas in alium longe sensum rapere, quam Aristoteles ipse foret interpreta-
tus.

§. XII.

Ergo dum existentia e divina Voluntate derivatur, essentia etiam eo referri debet: melius autem de his in limine Ontologiae filemus, ne conclusiones Theologiae Naturalis e principiis Ontologicis deductae, petitionis Principii vel Circuli accusentur: a) ne quid addam de nimio divini Intellectus atque Voluntatis discrimine.

a) conf. M. Augusti Wolfi diss. Witteberg 1690. de radice possibilis, quam neque in Potentia neque in Intellectu Dei sed in prædicatorum contradictoriorum exclusione collocat, atque hac occasione varia huc pertinentia proponit.

§. XIII.

Necessitatem essentiis, sive cum sive sine existentia consideratis, facillime largior, talem nimirum quæ in coñexione Subiecti & Prædicati Propositionum essentialium consistit; a) contradictorium enim & impossibile est, hominem non esse hominem, Triangulum non esse Trangulum; sed omnis hæc necessitas nihil aliud suppeditat, quam Propositiones maxime identicas h. e. res exigui momenti. b)

a) manifestum ergo & facile est discriminem hujus necessitatis a necessitate existentiae, ubi prædicatum de existentia agit, quam necessitatem Deo, & quidem soli, competere in Theologia Naturali docemur: nec opus esse puto, ut cum Herveo, Occamo, Scherzero, Thomasio (vid. hujus Dil. Stahl. p. 46. seqq.) prolixius necessitatem creaturarum limitemus, atque impurem, hypotheticam, secundum quid, comparative talem, in certo tantum genere nominemus, quo a necessitate existentiae divinæ pura & absoluta secernatur. Memorabilis autem est observatio ejusdem Thomasii p. 46. l. c. Platonis & Aristoteli, quod uterque statuerit Mundum, ille intelligibilem, hic sensibilem, a Deo producsum esse, non ut agente libero sed ex necessitate naturæ, essentias rerum, & consequenter propositiones de illis, æternas fuisse & simpliciter necessarias.

b) Roetenb. Log. Q. 1091. not. (b) nullus propositionum talium usus est, nec immerito rugatoria dicuntur, quia nihil manifestant aut docent, tam veræ licet sint, ut nihil iis possit esse verius. Concedo tamen utiles esse has Propositionibus, in disputationibus quibus adversarius ad absurdum. h. e.

anegationem Propositionis indenticæ deducitur: Excludendæ autem sunt ex harum numero definitiones reales, ubi subjecti obscura idea per prædicati claritatem corrigitur.

§. XIV.

Æternitas, si non est vanus vacuusque sonus, existentiam denotat, eandemque principii & finis expertem; *a)* ideoque essentiæ ab existentia distinctæ sine contradictione tribui nequit, neque id ex necessitate essentiarum concludere, *b)* multo minus essentias cum existentiis conjunctas æternas statuere *c)* licet. *d)*

- a)* Thomas I. c. 30. Æternitatem omnes quidem intelligunt de duratione principii & finis experte.
- b)* necessitas existentiæ optimum argumentum est æternitatis divinæ. Quod vero non omne necessarium sit æternum exemplo Eclipseon Thomasius ostendit p. 38.
- c)* etenim productum simulque æternum esse contradictionem involvit.
- d)* Jac. Thomasius libro saepius laudato egregie observat quatuor sententias de æternitate essentiarum, *ARISTOTELIS* pertinentem sed falsam ob æternitatem Mundo sensibili assignatam; *PLATONIS* & *SCOTI* nec pertinentem nec veram, quæ Mundo intelligibili, ideali, distincto a Deo & Mundo sensibili h.e. non enti æternitatem tribuit; *THOMÆ* veram sed impertinentem, qui exemplaria rerum æterna intra Deum statuit; *NOMINALIVM*, nominatis *SCHAVTHEETI* pertinentem ac veram, qua æternitas essentiærum negatur. p. 31. Idem refert p. 26. sq. Propositiones: Multa esse æterna, præter Deum; multas esse veritates ab æterno, quæ non sunt Deus; in profundo Bradvvardino, & subtili Scoto a Gersone & Parisiensibus, in Realistis a Salaberto, itemque in Arnoldo Brixensi & Petro Abaliardo fuisse damnatas. Negari quidem nequit, Methaphysicos Christianos æternitatem, quam essentiis ac veritatibus tribuerunt, per additamenta alterantia & destruentia *impura*, *negative*, *conditionalis* æternitatis, itemque per *essentiam ab existentia separatam* ita limitasse, ut erroris gravioris sine Lochomachia accusari non possint, solamque necessitatem intelligent; mirum tamen est, rejectis principio & sensu erroneis Aristotelis ex veneratione ejusdem retinuisse conclusionem atque in sensus alienissimos detorisse: quamvis non omnes id fecisse præter supracitatos ex exemplo Donati pateat, quod D. Langius proposuit in der ausfubrl. Entdeckung p. 294. conf. Dn. Wolffii Commentatio §. XII.

§. XV.

Propositas hucusque & partim rejectas doctrinas de essentiærum dependentia ab Intellectu Dei, exclusa ejusdem Voluntate de necessitate & æternitate ipsarum, necessarias existimarent Autores, ut salvare possit essentiærum scientia, *a)* omnisque Philo-

Philosophica & imprimis Ontologica certitudo ; ast sepiotis his, Ontologia summa gaudebit certitudine simulque facilitate, modo origines idearum solicite, observentur.

a) v. Jac. Thomas, I. c p. 34. sqq. Dn. Wolffii Annotationes in suam Metaph. §. 367.

§. XVI.

Nimirum ideas nostras omnes primitus per sensationem & reflexionem a rebus, quas repræsentant, oriri nunc suppono a); individuales istæ ideæ rebus sunt conformes, h. e. veræ reales b), adhæc certæ claræ, distinctæ c); accedentibus comparatione & abstractione, dum sepositis momentis discrepantiæ, id, in quo conveniunt diversæ ideæ primitivæ, unice mente retinetur, ideæ emergunt universales, æque ac primitivæ, reales, veræ, certæ, claræ, distinctæ d); harum idearum comparatio Axiomata suppedidat genuina. His unice observatis, atque seposito Autoritatis Præjudicio, facili opera exstructur Systema Ontologicum realissimum, verissimum, solidissimum, certissimum, ad quorumvis captum, accommodatum, nec ullius hominis, cui deductiones idearum ex suis originibus innotuerunt, contradictioni obnoxium. e)

a) id quod alia occasione ex instituto probabo. Provoco nunc ad Lockii de Intell. Hum. lib. I. & lib. II. c. l. ipsumque Dn. Wolffium, qui, quamvis Metaph. §. 820, Lockianæ derivationi idearum extrinsecæ contradicat, in Logicæ tamen Cap. I. non potuit non eandem in Praxi inculcare, ita ut in Praxi Logica videatur esse Occasionalista v. §. 5. & 6. Cap. I. Log.

b) h. e. rebus existentibus respondentes.

c) vitia Intellectus sunt actiones mallæ, minus circum spectæ; in primis his ideis Mens non agit, sed pauitur, teste interna experientia: Ergo etiam in his male agere nequit, adeoque intellectus absunt.

d) comparatione enim & abstractione neque fingimus neque affirmamus neque negamus, sed, quæ sensatione & reflexione junctim observavimus, scorsim consideramus.

e) non vanam esse hanc spem, lectionibus meis Metaphysici expertus sum, ex quibus, quamprimum per alias occupationes licebit, Compendium Ontologæ emendatæ publici juris faciam.

§. XVII.

Vsum non condemnendum præstat Principium contradictionis a) cum in ideis nonnullis b) tum in Axiomatibus c) inventiendis.

niendis. Illud vero Principium, quod rationis sufficientis vocant d), non satis probatum e), ambiguum f) atque falsum g) videtur.

- a) Impossibile est, idem simul esse & non esse, sive: Duo Contradictoria non possunt simul esse vera, sive: Quodlibet est vel non est. Axiomata autem hæc ex ideis entis & non entis illico oriuntur.
- b) e. g. idea creationis ex idea oppositæ productionis ex præexistente.
- c) e. g. productum esse involvit aliquando nondum fuisse. E. productum non potest esse æternum h. e. nunquam non fuisse, vel: Causa (non qua Causa, sed qua Ens vi activa præditum) prior est quam effectus (non qua effectus, sed qua ens absolutum.) E effectus non potest simul extitisse cum Causa, vel coæternus eidem esse, si quidem hæc sit æterna.
- d) V. Cl. Lud. Phil. Thümmigius Inst. Philos. Wolff. T. I. p. 41. his verbis ipsum enuntiat: Nihil est sine ratione sufficiens, cur aliquid potius sit, quam non sit. Ratio vocatur id, unde intelligitur, cur alterum sit. Vnde principii rationis sufficientis hic est iensus: Si aliquid ponatur esse, semper erit aliquid, unde intelligi potest, cur illud sit. conf. Ipse Dn. Wolffius in Metaph. §. 29. lqq. & Annotationibus ad has §§. & in Ratione Prælect. Metaph. §. 63. lqq. atque Leibnitii & Clarkii Epistolæ.
- e) Experientia enim, ad quam provocant, universalem propositionem Metaphysicam stabilire nequit; neque datur a veritatibus experimentalibus abstractio universales metaphysicas veritates producens.
- f) ratio enim & Causam efficientem & Causam Analyticam comprehendit, atque Principium rationis sufficientis in explicatione & applicatione nunc de Principio essendi, nunc de Principio cognoscendi accipitur.
- g) namque oppositum hujus Principii sc. esse aliquid, ita tamen, ut nihil sit, unde intelligi potest, cur illud sit, cogitari potest, neque est contradictorium. Ad hæc volitiones Dei liberæ, quas Clarkius in Ep. urget, itemque humanæ nonnullæ volitiones instantias contrarias suggerunt, de quibus in seqq. agemus. Imo ipsum Somniorum exemplum a Dn. Thümmigio prolatum instantiam largitur: satetur enim in somnio nullam adesse rationem, cur vestimentum viride mutetur in cœruleum; ast somnium tamen fuit: Denique quare το δια certo scire non possumus, licet το διότι nesciamus?

§. XVIII.

Idealistis, qui Sceptici sunt a), Metaphysica non tantum non est accommodanda, sed multo potius Logicæ auxiliaries præbet manus ad destruendos & refutandos gravissimos Idealistarum errores b).

- a) Dn. Wolffius in præf. Metaph. secundæ edit. Idealistas & Egoistas Dogmaticis annumerat: ast, cum Idealista & Egoista in sensu exclusivo dicantur, quod præter Spiritus & mentem suam aliud ens dari negant, scepticos, minimum particulares esse, comparatio cum Sexti Emperici hypothesibus docebit.
- b) e. g. Idealistæ sicut Mundus, ita etiam Deus erit ens rationis. Cum his si confero, quæ de objecto Metaphysices & Philosophiae supra proposui, non possum Dn. Wolffio §. 787. & in præf. cit. largiri, Idealismum quæcunque de Anima & Mondo accurate doceri possunt, relinquere inconcessum.

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM
DE
METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA
SPECIMEN II. COSMOLOGICVM.

§. I.

Cosmologia transcendentalis, quam Wolffius condere cœpit, a) de universo materiali doctrinas maxime arduas tradit in Pneumatologia & Theologia Naturali necessarias b); Bulffingerio autem Viro eruditissimo scientia est spiritualis acque ac corporei Mundi, atque harmoniæ inter illius leges Ethico-Logicas & hujus Phisico-mechanicas c).

a) ut ipse refert Comment. §. II.

b) ibid. transcendentalem sine dubio appellat 1) quod de Mundis possibilibus aliis, adeoque de Mundo in genere & abstracto agat. 2) quod transcendentalis disciplinæ h. e. Ontologiæ doctrinas copiose applicat; ast omnem de Mundo materiali doctrinam capiti Physicæ f. Somatologiæ de Mundo adscribo; namque præter Theologiam Naturalem nullam novi scientiam, quæ objectum suum non consideret in abstracto; omnium autem scientiarum fundamenta sunt ontologica, omnes igitur essent transcendentes, dein Mundum existentem nonnisi unicum novimus, sicut igitur, non abstracta tantum est idea Mundi in genere.

c) in Comm. de Harmonia præstabil. §. III. sqq. & Dilucidat. de Deo, Anima, Mundo §. 13. ast pace Viri Humanissimi dixerim, si vel maxime, quæ in gratiam Harmoniæ præstabilitæ proferuntur, firmo starent tali, leges tamē Ethico-Logicas in Pneumaticis, Physico-Mechanicis in Physicis doctrinis quærendas, & propter meram comparationem ac harmoniam vel di- harmoniam harum legum peculiarem scientiam communiscendam non fore.

§. II.)

Mundus a Wolffio definitur series possibilium simultaneorum & successivorum inter se connexorum a); quæ definitio cum præsuppositis Ontologiæ Wolffianæ arcte cohæret, latior tamen est definitio b). Ast ens ceu existens, non tantum ceu possibile esse considerandum, supra ostendi; deinde hujus in primis existentis Mundi, ceu unius individui entis per aggregationem ratio est habenda, unde, si opus est, facilis erit ad alios

B

Mundos

Mundos possibles transitus; denique haud putaverim necessarium futuri æque ac præteriti, & nexus, qui inter particula ria intercedit, mentionem facere in definitione c): Stoicisimum autem & Spinozisimum in definitione hac reperire nequeo d).

- a) Rat. Præl. Metaph. §. 25. Metaph. §. 544. & Annot. ad h. l. conf. Thum migius V. Cl. in Iust. Philos. Wolff. p. 72.
- b) cuivis enim corpori humano applicari potest. Conf. D. D. Langii Ausführl. Entdeckung. p. 58. not. b. facilis tamen est medela, modo inseratur vox OMNIVM, ut Mundus sit series vel congeries OMNIVM possibilium, s. ex nostra sententia existentium, quod ipsum etiam observavit Bulffinger Dilucid. §. 139. Adhæc cum Cosmologia de Mundo materiali tantum agere debet per Comm. §. II. possibilia per vocem MATERIALIA fuissent restrin genda. Causas autem efficientem & finalē (quæ ad essentiam minime pertinent) omissas esse, h. c. not. c) immemor regularum Logicarum carpit.
- c) concipiamus Mundum in momento initii sui & finis (quorum utrumque minimum possibile est) & manifestum erit, neque præteritum neque futurum pertinere ad essentiam Mundi, sed inter accidentalia referri debere. Si simili modo alia quævis entia successiva e. g. hominam vel solum corpus huma num definiremus, quam portentosæ emergerent definitiones? Nexus autem partium Mundi & nexus hujus rationem Cosmologia specialior demum docet.
- d) nulla enim necessitas, multo minus fatalis & absoluta necessitas hac definitione sive explicite sive implicite continentur. Contrarium tamen videtur Langio l. c. p. 59.

§. III.

Simplicia absolute talia dari ex compositorum existentia nondum evincitur a), neque ex Arithmetica argumento huic robur accedit b); multo potius dari non posse simplicia absolute talia, e quibus materialia vel corpora componantur, demonstrari potest. c)

- a) quod volunt Leibnitius in Monadolog. §. 2. Wolff. Metaph. §. 76. 582. ast nonnisi comparative simplicia h. e. simpliciora ita probantur, atque ne hæc quidem seorsim extra compositionem existentia, & quid obstat, quo minus composita, sed simpliciora adeoque Elementa per creationem sine præexistente producta concipientur? Principium rationis sufficientis in hoc argumento magis infirmari, quam confirmari videtur, tantum abest, ut probet.
- b) namque numerus vel intelligitur numerans vel numeratus: prior, cum in solis characteribus consistat, hic locum vix habet: in posteriori unum æque erit compositum, si corpora numerabis, ac simplex, si spiritus. conf. Strachle ri Examen Metaph. Wolff. P. I. p. 69. & Diss. de Elementorum contingentia.
- c) cum enim materiæ essentia consistat in extensione, fatente Wolffio Metaph. §. 607, nulla materiæ particula sine extensione h. e. sine partibus esse aut intelligi

intelligi potest: divisibilis igitur est materia non physice sed metaphysice, ita infinitum improprie loquendo, h. e. indefinite, qua observatione declino Hollmanni V. Cl. objectiones in Comm. de Harm. Præstabil. p. 15. porro si impossibile non est, ut ex absolute simplicibus h. e. spiritibus quoad immaterialitatem & indivisibilitatem in unum conjunctis emergat materia vel corpus, impossibile etiam non est, ut ex spiritibus cogitantibus fiat corpus, quo ipso discrimen inter materiale & immateriale rursus tollitur. Opponimus hæc Bulffingeri Dilucid. §. 103. Adhæc cuivis absolute simplici proprium assignatur spaci punctum Metaph. Wolff. §. 602. E. sive intra sive extra compositionem altera parte huic, altera parte alteri Elemento vicinus, adeoque divisibile est.

§. IV

Omni igitur probabilitate carent Leibnitii Monades, quibus præter simplicitem absolutam etiam perceptionem tribuit a); nihil tamen Atheisticum in Monadologia invenio b); multo minus Wolffio dogma de æternitate Elementorum suorum tribuere possum. c)

- a) etenim Hollmannus, quamvis Atomos h. e. simplicia absolute talia statuat, reliquam tamen Monadologiam Leibnitianam egregie refutavit. I c. p. 16-29.
- b) D. Langius aliter sentit in der Ausfuhrl. Entdeck. p. 73, eo quod Deus ratione generis inter Monades referatur, differentia autem specifica tantum in modo & gradu repræsentandi collocetur. Verum sicut in definitione Dei genus vel in Ente vel in Spiritu recte a plerisque Theologis & Philosophis quæritur, ita non video, cur ens simplex generis loco adhiberi nequeat. Differentiam autem specificam in gradu representationis perfectissimo ponimus illis non videbitur, quibus Via eminentiæ seu medium attributa divina cognoscendi, & fundamentum distinctionis essentialis Lockio & Physicis doctrinis penitus innotuerunt. conf. Bulffingeri Dilucid. §. III. 112. Ceterum Monadologiam, si firmo staret talo, firmissimum existentiæ divinæ argumentum præbituram esse, Wolffio concedi debet in Annot. Metaph. §. 28.
- c) cum D. Langio Ausfuhrl. Entdeck. p 5. sqq quamvis enim Dn. Wolffius Metaph. §. 89. disjunctive scripsit, simplicia aut sine initio esse, aut simul semelque coepisse, ex immediate subsequentibus tamen & §. 1053 de creatione dudum cognovi, Autori Celeberrimo posterius membrum placuisse: ita etiam Autor secum pugnantis Harmoniæ p. 8. Thes. IX, mentem Leibnitii & Wolffii expressit. Id autem miror, creationem simplicium nec intelligibilem nec explicabilem videri §. 90. 91. Metaph. ideo quod nullæ partes nullaque harum successio adsint: inverterem, & ex absentia partium harumque successionis colligerem, facilius intelligi & explicari posse simplicium vel simpliciorum quam compositorum productionem: sed hæc sunt Logica

§. V.

Necessitas Mundi quoad essentiam a) gravissimus esset error, si Wolffius nobiscum essentias ab existentiis non distinguitas judicasset, & a voluntate divina derivasset: cum vero in utroque a nobis differat, errasse b) sed levius c) videtur.

a) Wolff. Annot. ad Judicium D. Buddei p. 66.

b) per Specim. I §. XI. XII. XIII.

c) Mundum enim existentem & leges motus contingentibus annumerat I. c. & Commentat. p. 26. sqq. cum autem nostræ sententiae obiectat, essentias ipsi esse arbitriarias, e. g. Comm. p. 33. concedimus id quoad arbitrium divinum, & urgemos, Ipsi V. C. essentias esse arbitriarias, & quidem ex proprio adeoque humano arbitrio, singit enim ideas ac definitiones hac ipsa de causa maxime disputabiles.

§. VI.

Existenti autem Mundo & mutationibus, quæ in eodem fiunt, necessitatem, non quidem Metaphysicam, majorem tamen Physica assignat a), eoque ipso partim Providentia divinæ speciali non-miraculosa & efficaciae precum b), adeoque genuinæ Theologiae c) contrariatur, partim ideam mundi imperfectiorem perfectiori præfert d).

a) dum 1) Mundum Machinis annumerat Metaph. §. 557. ordine inverso cum omne artefactum nonnisi imperfekte naturalia imitetur; unde 2) miracula præter necessitatem multiplicat, ut quodvis miraculum peculiari restitutioonis miraculo opus habeat Metaph. §. 639. qua hypothesis miracula difficultiora creditu redduntur. 3) eandem virium moventium quantitate in universo persistere asserit Metaph. §. 762. 709. quam tamen thesin neque Elementa Mechanic. §. 425. 426. citata probant, quippe quæ de occurso Elasticorum unice agunt, neque Bulffingerus in Dilucid. §. 172. ex ambigua regula: *Effectum plenum aquipollere viribus cause integræ*; satis evicit: quis vero non sentit, in gratiam Harmoniæ præstabilitæ hæc esse efficta? v. Hollmann, de Harm. §. 22. sq.

b) Mundus non indigeret Providentia, nec preces sine miraculo vel potius miraculis unquam primarium finem consequerentur quicquid de secundariis finibus Celeb. Bulffingerus protulerit Dilucid. §. 501. aliisque.

c) cui tamen maxime consentire Philosophiam suam passim prædicat Dn. Wolffius, omniaque genuina Philosophemata consentire debent.

d) perfectior sane est Mundus, divinaque attributa magis declarat, in quo non tantum Deus citra miraculum, sed ipse etiam homo mutare ac movere potest, sine destructione totius systematis, quam mundus ille machinarius vel imaginarius, qui ne minimam quidecum mutationem sine totali destructione patitur.

§. VII.

§. VII.

Stoicæ tamen fatalitatis & Spinozismi doctrinas has accu-
fare non possum.

Stoicum enim fatum non tantum non dependet a voluntate divina, sed eidem etiam resistit & divinam potentiam infirmat. v. Jac. Thomas. de exustione Mundi Stoica diss. XIII. Wolffiana autem Mundi necessitas a Dei voluntate ratione existentiae, ab ejusdem intellectu ratione essentiae pendet. Spinoza omnem contingentiam tollit, observantibus id & D. D. Langio in Causa Dei adv. Atheism. p. 60. & Dn. Wolffio in comm. p. 21, & 29.

§. VIII.

Neque doctrinæ Wolffianæ, si vel minimum mutaretur in hoc Mundo, non amplius fore eundem Mundum, a) de serie causarum innumerarum, quam regressum in infinitum D. Langius appellavit; b) de certitudine atque hoc respectu adferta necessitate eventuum in hoc Mundo; c) tanta continent pericula, modo rite capiantur.

- a) notandum, Mundum Wolffio non tantum esse serem simul existentium & ratione spaci connexorum, sed omnium etiam praeteritorum & futurorum; deinde indenditatem h. l. rigorote accipi, non in laxiori sensu, quo idem dicitur e. g. corpus humanum, cui perpetuo decedunt & accedunt aliæ particulæ.
- b) in Ausführl. Entd. p. 5. satis enim D. Wolffius explicavit infinitum per indefinitum Comm. p. 53. quibus addendum est, nexus non tantum ex Causis efficientibus, sed etiam ex finalibus desumit. v. Bulfinger. Dilucid. §. 154.
- c) Certitudo & Veritas, quando a cognitione humana ad objecta ejusdem res transferunt metonymice, sensum amittunt, interim ex necessitate hinc adferta Metaph. §. 561. denuo colligo, necessitatem, quam Wolffius eventibus Mundi tribuit, majorem esse necessitatem physica.

§. IX.

Aeternum esse Mundum & hoc non obstante a Deo produc-
tum esse, utique contradictionem involvit. a) Ergo dum ex
Mundi contingentia aliisque circumstantiis existentia Dei de-
monstratur, simul Mundi æternitas destruitur.

- a) Causa enim est prior effectu, effectus posterior Causa, non prioritate vel posterioritate naturæ, quæ sensu carent, sed temporis, non tanquam Causa & tanquam effectus, hoc enim respectu Causa & effectus sunt simul, sed tanquam ens absolutum, ita ut e. g. pater prius fuerit homo, quam genera-
tione pater factus fuit: Producit supponit antea non fuisse, idque tam evi-
denti veritate, ut Aristotelici privationem inter principia rerum naturalium
referentes derideantur, non ob falsitatem, sed ob nimiam & superfluam
quamvis verissimam veritatem. conf. Waltheri Eleatische Græber p. 60.

Antwort auf H. Wolffs Anmerck. über das Budd. Bedenken p. 46. sqq. Bevveis, dass das Budd. Bedenken noch feste stehe p. 91. sqq. negari quidem nequit, multis Philosophis visam fuisse possibilem mundi æternitatem: Bæ. Iius Dict. p. 2899. ad marginem n. (19) scribit: Notez que plusieurs grans Philosophes orthodoxes soutiennent, qu'une Créature peut être éternelle. Ast in gratiam Aristotelis, qui mundum actu æternum statuit, possibilem ejusdem æternitatem plerisque placuisse, haud obscurum est. Matthæus Hale, supremi tribunalis Regii Anglii quondam præses, im Ursprung der Welt und derer Menschen, spissò volumine, quod H. Schmettavius translatum in vernaculam nostram A. 1701. in 8v. Francof. & Lipsiæ edidit, quodque argumentum hoc uberrime & accuratissime tractat Sect. I. c. 3 varias de æternitate Mundi sententias hoc ordine recenset: quosdam Mundum æternum h. e. sine initio statuere, quod plane negent Deum Atheismo crassissimo, quosdam quod a Deo productum negent, Atheismo Epicureo; alios, qui æternum Mundum a Deo tamen dependentem faciant, sententia tolerabili, quamvis falsa, dispescit, ut Deum vel cauſam necessariam, vel cauſa liberam æterni Mundi considerent: posteriorē Thomæ Aquinati, Suaresio aliisque tribuit, quod minimum possibilem hoc sensu Mundi æternitatem putaverint: hanc etiam Wolffius suam fecit. Priorem sententiam subdividit, ut ab aliis omnem divinam libertatem sublatam, ab aliis reliquam, sed ex intra divinæ bonitatis necessitate derivatam Mundi æternitatem existimet. Tandem observat aliis materiam Mundi, aliis ipsum Mundum æternum videri. Singulas autem has sententias contradictionis & impossibilitatis confincere annititur. Thomas Aquinas in Summa Theol. P. I. quæst. 46. art. 2. Mundi initium demonstrari non posse docet 1) quia sit articulus fidei (purus, non mixtus, quod adjecto exemplo Trinitatis innuit) "id quod ex Symbolo Apostolico, Gregorio misere probat. 2) quia non "vitas mundi demonstrationem recipere nequit, nec ex parte ipsius mundi " (id quod ita obscure deducere conatur, ut mendum adesse suspicer Cri- "tica manu tollendum) nec ex parte cauſæ agentis, quæ agit per volunta- "tem: Voluntas enim Dei ratione investigari non potest, nisi circa ea, quæ "absolute necesse est Deum velle: Talia autem non sunt, quæ circa creaturas "vult. Inverti: ex parte Mundi contradictionem involvit productum creatum, & tamen æternum, nunquam non fuisse. Ergo, quamvis voluntas Dei circa creaturam quoad positiva demonstrativa cognosci nequeat, certum tamen est negative, Deum non voluisse æternitatem creaturam, quæ contradicitia est, & ne quidem cogitari potest. Pergit Thomas: Et hoc utile est, ut consideretur ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare præsumens, "rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infide- "libus, existimantibus nos propter hujusmodi rationes credere, quæ fidei sunt. Deinde osto rationibus Philosophicis contra æternitatem Mundi possibilem satisfacere conatur. Maxime hic conferri meretur Pauli Voëtii Theologia Nat. Reformata p. 209. sqq. ubi quæstionem tractat, an creatura sic possit esse ab æterno, ut in nullo anteriori durationis momento extiterit Deus æternus? refert inter Scholasticos si non omnibus, plerisque, inter Reformatos etiam nonnullis affirmativam sententiam placuisse, ipse negativam, quæ etiam communior sit inter Reformatos, defendit, quod repugnet ex parte

parte creatoris, creaturæ, & modi creandi creaturam esse Deo coæternam, argumenta ipsius sunt Metaphysica eaque admodum accurata. De Bælio & Bulffingero, qui Logomachis in hac Controversia intercedere existimant, ad §. XII. agetur.

§. X.

Momentum hujus Veritatis: Mundum non posse esse æternum, maximum omnino est: opposita enim sententia per pronam consequentiam deducit ad negandam dependentiam & productionem Mundi a Deo.

Quamvis Wolffius & Bulffingerus in Diluc. §. 193. sqq. & conclusionem hanc & vim consequentiae, quæ ex æternitate Mundi deducitur, non tantum non agnoscant, sed etiam negent, ipsum tamen dogma est admodum periculosum. Illustrari hæc possunt ex doctrina Theologica de Articulis fundamentalibus secundariis, quibus oppositi errores primarios per consequentiam destruunt, quamvis erantes hanc consequentiam non videant, aut omnino negent.

§. XI.

Præter hanc autem dependentiam Mundi a Deo alia certa indicia pro novitate Mundi & contra æternitatem ejusdem dari persuassissimus sum, ut existentia Dei inde demonstrari possit.

Indicia hæc cum Matthæo Hale lib. cit. Sect. II. Abbadie de Ver. Rel. Christ. P. I., Sect. I. cap. 7. sqq. in novitate historiarum, regnum, articum ac scientiarum, Idolatriæ, in defectu naturæ humanæ, in successivis augmentis generis humani, in montium per aquas, pluvias successiva humilitatione aliisque mutationibus globi nostri terraquei (de quibus Rajus etiam in libello de mundi initio & fine conferri maxime meretur) collocanda duco. Non ignoro Dn. Wolffium passime e. g. in ratione Praelect. Metaph. §. 43. Dn. Bulffingerum Diluc. §. 199. excipere, at telluris, generis humani novitate non valere consequentiam ad movitatem totius Mundi: sicut etiam Thomas I. Resp. 4. Aristotelis verbalib. I. Meteor. cap. ult. sua facit: Ridiculum esse ex hujusmodi particularibus mutationibus opinionem accipere de novitate mundi totius. Verum miror, Wolffio, cui additio vel subtractio minimæ partis Mundum ita mutaret, ut non amplius foret pristinus vel idem Mundus, tot tantaque indica novitatis quoad tellurem nostram & genus humanum, videri non afficeret totum mundum: Sane si totus mundus esset æternus, h. e. si omnia materialia essent æterna, etiam tellus, etiam genus humanum æternitate gaudere deberent: cum verum falsum sit posterius, falsum etiam est prius, idque per doctrinam de subalternatione fundamento omnium ratiociniorum,

§. XII.

Negari tamen nequit, ex hypothesibus Wolffianis maximum fore discriminem inter æternitatem Dei, & æternitatem Mundi, si vel maxime hanc statueret.

Tempus

Tempus definit ordinem successivorum. Ratione lect. Metaph. §. 14. Metaph. §. 94. cum vero Deus sit immutabilis, adeoque successio in ipso locum non habeat, extra omne tempus æternus dicitur, sicuti Mundi æternitas tempus infinitum denotaret. Metaph. §. 1073. sqq. Eodem tendit Thomas Resp. 5. "I. c. dicens: Et si mundus semper fuisset, non tamen parificaretur Deo in æternitate, ut dicit Boet: quia esse divinum est esse totum simul absque successione: non autem sic est de Mundi. Bayle in Dict. art. Zabarella ejusque prolixanota (H) de Logomachiis in Coutroversia de æternitate Mundi idem discrimen urget, existimans, si questio ita proponeretur: an possibile sit, ut Deus & creaturæ ipsius semper simul extiterint? neminem facile negaturum esse, cum de æternitate plerique negarent, addens hanc rationem: que la durée des creatures est successive, & que l'éternité est une durée simple, qui exclut essentiellement le passé & l'avenir. Post cum Porietum ob eandem doctrinam laudasset, vituperasset autem, quod novitatem Mundi male probasset, Boetiam æternitatis definitionem multo magis incomprehensibilem judicat, quam dogma Transubstantiationis. Ast tempus male definiri per ordinem successivorum vel inde probbo, quod per hanc definitionem entia simplicia, non tantum Elementa, sed etiam spiritus creati essent extra tempus, adeoque æterna; imo ipse mundus, si eo momento, quo simul fuit productus, illico iterum fuisse annihilatus, extra tempus fuisset, adeoque æternus. E contrario observandum duco, tempus nihil aliud esse, quam relationem ad alia entia vel coexistencia, vel priora, vel posteriora: in tempore determinato attendi mensuræ loco motum successivum vel penduli vel solis vel lunæ: in hoc motu successivo mensuræ datur prius & posterius, quod vero non ad quævis mensurata quadrat, e. g. mens humana dici potest jam existere complures annos, menses, dies, horas, minuta, quamvis sit ens permanens, non successivum, ut corpus humatum. Ex eo autem errore, quo prius & posterius in quovis ente, de cuius existentia & duratione h. e. continuata existentia sermo est, quæsumus fuit, Boetius necessarium putavit viæ totam simul possessionem inserere definitioni æternitatis divinæ, frustraneo utique & contradictorio conatu. Ergo ante Mundum conditum Deus fuit extra tempus, cum enim non esset aliudens, non poterat ad aliud referri, nisi quod nunc. Mundo condito, dicere possimus, Deum fuisse ante Mundum. Aeternitas igitur nihil aliud est, quam existentia sine principio & fine. Ergo nihil prosecit Bælius sua distinctione inter tempus infinitum & æternitatem ad componendas lites de Mundi æternitate: de eo enim unice queritur, an Mundus semper existere potuerit. Bulffingerus quoque aliquam conciliationem tentarit, evoluta ambiguitate in voce creationis vel productionis ex nihilo, Dilucid §. 190. 192. Putaverim in distinctione hac nimis ferme subtili, quam tamen Thomas etiam attigit in Resp. 2. I. c. prius membrum, quo nihilum ceu reale quidpiam & quasi materia, ex qua creatus fuerit Mundus, præexitisse dicitur, ita contractorum esse, ut cogitari nequeat, & nemo fortassis non plane insipiens de creatione in tali sensu inquisiverit.

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM
 DE
 METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA
 SPECIMEN III. PSYCHOLOGICVM.

Doctrina de Mente nostra non minus utilis ac necessaria quam difficilis est; a) plerasque tamen feliciter superabimus difficultates, si naturali ordine ex præmissis exactis experimentis per ratiocinia non minus accurata naturam ejusdem indagaverimus. b)

a) Inter causas hujus difficultatis forte haud ultima est, quod cōpositis assueti in simplicibus etiam partest quæramus, & cum nullas reperiamus, de obscuritate & ignorantia queramur v. B. Sturmii nostri Exerc. VIII. in Tom. II. Philos. Eclect. rerum in natura maxime familiarium obscuram simplicitatem ad fontes suos utcunque reducens.

b) quam methodum non infeliciter adhibuit Dn. Wolffius Metaph. cap. 3. & 5. eadem methodo usus est acutissimus noster Sturmius in Tr. de Homine, quem circa a 80. superioris seculi Auditoribus in calatum dictavit, atque tertiam Physicæ Hypotheticæ partem fecisset, si posteriores adhibere licuisset curas. Ergo nos etiam ex experimentali Noologia primum quædam excerptemus.

§. II.

Definitiones cogitationum clararum & obscurarum, & subdivisio clararum in distinctas & confusas a) minus placent, quod ab usu loquendi nimis recedunt b,) atque incommoda sunt c.)

a) Obscura cognitio definitur non sufficiens ad rem denuo undeunque oblatam iterum agnoscendam; clara, quæ sufficit, eademque confusa audit, quando non possumus partes & notas ejus separatim enumerare; distincta, quando possumus. Leibnitius in Medit. de Cognit. Ver. Id. A. E. L. a. 1684. p. 537. Wolff. Metaph. §. 198. Iqq. Bulffinger Dilucid. §. 240. cum quibus ferme consentit Cartesius Princip. Philos. P. I. §. 45. sq.

b) Claritas & distinctio, obscuritas & confusio combinari solent: ab usu autem recepto temere non esse recedendum notissima eaque optima est regula, ab ipso Dn. Wolffio repetita Annot. ad Metaph. §. 63. 80.

c) nimirum ob has definitiones creatio simplicium nec intelligibilis nec explicabilis videtur. Dn. Wolffio, uti Specim. II. §. IV. not. c) observavi: durum etiam est, rubrum colorem distinguere posse ab aliis coloribus, neque tamen cognitionem ejus esse distinctam, quæ doctrina est Wolffii Metaph. §. 214.

C

§. III.

Putaverim ergo, ideas seorsim consideratas vel esse claras, h. e. singulas partes & attributa essentialia rei repræsentare, vel obscuras, ubi desunt aliquæ a;) ideas autem plures inter se comparatas, vel esse distinctas b;) vel confusas c.)

- a) Ergo in simplicibus aut nulla est aut clara idea : neque præter veritatem & falsitatem (falsa, autem idea non meretur dici idea) in ideis aliam diversitatem possibilem deprehendo ; quam vel omnium vel quarundam tantum partium representationem. Vbi mera occidentalia representantur, res omnino ignoratur ; ubi propria, essentialia consecutiva, conceptus secundi unice representantur, nonnisi relatio adest inter rem ipsam vel clare vel obscure cognitam, atque accidens aliquod ejusdem e. g. in potentia loquendi hominem refero ad loquelam. Definitio autem realis claram ideam exprimit æque ac excitat. Vbi partes rursus ex aliis componuntur particulis, harum iterum vel clara vel obscura esse potest cognitione ; neque minus partes a se invicem distingui vel inter se confundi possunt.
- b) Si singulæ nostræ idææ fuerint clarae, nulla metuenda erit earundem confusio, quæ ex alterius aut utriusque obscuritate oritur. Hinc apparet, quam arte claritas & distinctio, obscuritas & confusio, definitio & divisio cohærent.
- c) Confusionis, qua distincta habentur pro ijsdem, alterum extreum est, quando idem diverso tempore iterum occurrens habetur in pro diverso. Aliquas harum observationum etiam proposuit Stræbler in der Prufung P. II, §. 5. sqq.

§. IV.

Intellectus Purus per eum , qui nonnisi distinctas ideas haber, male definitur a;) & falso foli Intellectui Puro distinctio, Sensibus ac Imaginationi nonnisi confusio tribuuntur b.)

- a) cum Bulffinger Dilucid. §. 274. Wolffio Metaph. §. 282. sqq. usus enim toquendi in notissimis controversiis receptus secum fert, ut per Intellectum Purum intelligamus Mentem solam sine imaginatione & sensibus cogitatem de objectis spiritualibus & a corpore & spiritu abstractis, v. diss. Altendorfina Apini moderatore Celeb. Kœlero a. 1713. edita de Intellectu Puro. Hoc sensu recepto acceptus Intellectus Purus exulat ex omni foro Mathematico, quod imaginationem unice postulat, quiequid Cartesiani (e. g. Ant. le Grand. Instit. Philos. p. 18,) de Chiliogono suo tentant, cognitionem sensualem numeris, horumque characteribus imaginabilibus abstractam confundentes cum rei ipius cognitione, quæ si vel maxime aliqua daretur, singularium laterum & angulorum imaginationem supponeret.
- b) etiam in sensu Wolffiano; quotidie enim sensu & imaginatione diversorum corporum diversas partes & notas distinctissime pro scopo percipimus:

Dum

Dum vero Intellectui Puro Wolffiano Intellectus Purus in sensu recepto acceptus per consequentiam eamque minus legitimam jungitur, confusio agetur contra regulas Prudentiae Didacticæ.

§. V.

Voluptas per intuitivam perfectionis cognitionem defini-
niri nequit *a*,) datur enim intuitiva perfectionis cognitio,
quæ tamen non est voluptas, sed cum indifferentia, imo tæ-
dio conjuncta *b*;) datur voluptas, qua affectus ne quidem
cogitat de perfectione sive imperfectione sive vera, sive fal-
sa *c*;) datur voluptas cum intuitiva imperfectionis cogni-
tione conjuncta *d*;) imo si vel maxime voluptas & cogni-
tio perfectionis intime cohærerent, nimis tamen Theoretica
esset rei practicæ descriptio *e*.)

- a*) cum Wolffio Metaph. §. 404. Bulffingerero Dilucid. §. 289. perfectum definiunt, cujus omina consentiant Wolff. I. c. §. 152. Bulff. §. 122.
- b*) e. g. Musicam non amans harmoniam adeoque perfectionem auditu (quo disso-
nantiam etiam illico percipit,) sine omni voluptate, imo cum tædio percipit.
- c*) quis in voluptate, quam ex vindicta, Venere sentit, vel sentire cupit, de
consensu in varietate cogitat?
- d*) gulosus, quamvis experientia eductus esculentorum & potulentorum, quæ
expetit, noxam cognoscat, eadem tamen appetit, iisque maxima cum vo-
luptate fruitur.
- e*) Eodem ferme tendit Stræhlerus l. c. §. 81. urgens, voluptatem esse statum,
qui sequatur cognitionem perfectionis. Regerit Bulffingerus §. 290. defi-
nitionem esse geneticam ; ast in definitione geneticâ e. g. circuli exprimitur
id, quod ex genesi resultat, in voluptatis autem definitione non exprimi-
tur practicum illud, quod a cognitione, quæ Theoreticum quid est, gigni-
tur ; ne definitionem geneticam in universum nunc operosius impugnem,
quam ne Mathematici quidem omnes approbant, atque in ipsa Metaphysica
Wolffiana e. g. in definitione Animæ neglegtam video, ut duplicem defini-
tionem realem deprehendisse mihi videar. Rectissime Lockius de Int. Hum.
lib. 2. c. 20. Voluptatem & Dolorem inter ideas simplices retulit, quæ,
quamvis definiri nec possint nec postulent, vividissime tamen sentiantur &
percipientur, id quod interna experientia quemvis attendentem docebit.

§. VI.

Bonum per id, quod statum nostrum perficit, minus
adæquate definitur *a*,) neque divisio in Bonum verum,
quod perpetuam, & apparens, quod temporariam tantum
voluptatem gignit, accurata est, quamvis admodum sit re-
cepta *b*.)

C 2

a) Wolff.

- a) Wolff. Metaph. §. 422. Bulffinger Diluc. §. 289. etenim non nisi bonum volumus. Metaph. §. 492. sqq. ast saepe etiam volumus, quod statum nostrum non perficit, imo destruit, per §. antec. Ergo datur bonum, cui definitio hæc boni applicari nequit. Restat ut cum Lockio ex clara per se voluptatis idea deducamus ideam boni, idque definiamus, quod efficit in nobis aut auget voluptatem, vel dolorem minuit.
- b) quid enim obstat, quod minus aliquid perpetuo nobis appareat bonum? Ergo inter bonum verum, quod in perpetuitate consistit, & apparens nulla differentia: deinde ambiguum est, qualis intelligatur perpetuitas, an sine omni fine, etiam post hanc vitam, an expirans cum hac vita: utraque suas habet difficultates. Non ignoro in gratiam Philosophiae Moralis hanc distinctionem fuisse excogitatam, & communis ferme consensu approbatam: ast nihil derogabimus Philosophiae & Theologiae Morali, si omnia bona, quæ quisque amat, in se vera bona esse concederimus cum Lockio, modo observaverimus, varia esse bona præstantiora, minus præstantia; stulti autem esse, minus bonum præferre majori, sicut omnis sapientia in justa comparatione bonorum, ac præferentia majorum bonorum consistit, ita ut negligenda sint minoria, quæ cum majoribus simul obtineri nequeunt.

§. VII.

Ad naturam Mentis indagandam proprius accedentibus primo occurrit immaterialitas ejusdem, quam conscientia sui sive reflexio certo docet a,) quamvis reliqua argumenta a cogitatione immaterialium objectorum, activitate b,) & libertate Mentis non omnino sint negligenda.

- a) Wolff. Metaph. §. 738, sqq. Bulffinger §. 271. unicum observo, conscientiam sui non esse restringendam ad ideas claras; experientia enim docet nos etiam consciens esse idearum obscurarum; imo nesciremus discrimen idearum clararum & obscurarum, nisi has æque ac illas reflexione didicissemus.
- b) activitatem menti competere innumeris speciminibus actionum, quarum autores non possumus non nosmet ipsos agnoscere, convincimur: sensationes tamen & quasvis promiscue imaginationes actionibus annumerare nequeo cum Wolffio Metaph. §. 818. 821, invitum autem inter passiones referri debet.

§. VIII.

Hinc sequitur, Mentem esse peculiarem substantiam a,) h. e. ens propria existentia existens b,) vel, si mavis, sustentaculum modorum illorum, nimimum actionum & passionum, quæ corpori tribui nequeunt.

a) Sane

- a) Sane Controversia de Substantialitate Mentis non differt a quæstione de immaterialitate ejusdem, v. Brief. Wechsel vom Wesen der Seele; & Elsvich recentiores de Anima Controversiae §. 17.
- b) Leibnitias quidem in brevi Diff. de Primæ Philosophiæ Emendatione, & de notione Substantiæ in A. E. L. a. 1694. p. 111. sq. omni substantiæ vim vel virtutem agendi tribuit, quæ adum quendam sive ~~eret~~ ~~ex~~ ~~eret~~ contineat, inter facultatem agendi actionemque ipsam media sit, & conatum involvat, atque ita per se ipsam in operationem feratur, nec auxiliis indigeat, sed sola sublatione impedimenti, quod exemplis gravis suspensi funem sustineuntem intendentis, & arcus tensi illustrat; ab hac agendi virtute semper aliquam actionem nasci, adeoque corporem æque ac spiritualem substantiam ab agendo nunquam cessare arbitratur; has ipsas vero doctrinas maximam partem suas quoque fecit Wolffius Metaph. §. 114. sqq. ast, ne plura animadvertam de perpetua actione & propria activitate quibusvis substantiis sine fundamento, imo contra experientiam falso assignatis, conatus iste agendi (qui Aristotelicam de motu doctrinam sapit) mera relatio est inter actionem & substantiam, cuiusveram & propriam definitionem non dederunt Leibnitus & Wolffius.

§. IX.

Anima per substantiam universi repræsentativam profitu corporis alicujus organici in universo a) minus exacte definitur, siquidem volitiones non erant omittendæ b,) & definitio hæc Animæ a corpore separatae applicari nequit c.)

- a) Wolff. Ratio Prælest. Metaph. §. 22. Metaph. §. 753. sqq.
- b) id quod etiam desideravit D. Langius Ausfuhrl. Entdeck. p. 112. sqq. ad ea, quæ regessit Dr. Bulffinger Diluc. §. 316. sq. observo, si volitiones Dr. Wolffio nonnisi species quædam intellectionum essent (uti mihi cum Cartesianis nonnullis videtur volitio esse judicium de re mihi bona) vel si volitiones ex repræsentationibus necessario fluenter, Animam non tantum potuisse, sed etiam debuisse per solam vim repræsentandi definiri, tanquam per conceptum primum; cum autem in Metaphysica Wolffiana intellections & volitiones magis distinguantur, nec volitio ex repræsentatione necessario sequatur, siquidem hæc esse potest sine subsequente volitione, definitio non est adæquata: nec sufficit Genus Animæ esse substantiam, omnique substantiæ competere vim; hæc enim in differentia specifica soli repræsentationi est adstricta.
- c) Anima autem separatae æque est anima, ac juncta corpori. Hac ipsa de causis animæ in corpus exulat ex definitione ejusdem, in primis cum sola volitione exerceatur etiam secundum eos, qui vim animæ in corpus tribuunt. Frustra igitur hæc potentia agendi in corpus desideratur in animæ definitione a Langio Ausfuhrl. Entd. p. 112.

Ex his autem capitibus, quod repræsentatio corporearum tantum rerum menti tribuatur, Atheus hanc definitio nem admittere, atque per eandem Deum, & immortalitatem Animæ negare possit &c. definitionem impugnare nollem.

cum Langio Ausfuhrl. Entd. p. 113. sqq. Universum enim corpora æque ac spiritus compleætitur: definitio Mentis debet ita esse comparata, ut ab Atheo admitti possit, quo ex anima etiam de Dei existentia convinci possit, repræsentatio Universi etiam Dei cognitionem includit; abusus nonnisi miserrima consequentia innixus doctrinæ ipsi imputari nequit; nec qui in aliqua doctrina cum Spinoza convenit, illico Spinozianizat. conf. Bulffinger Dilucid. §. 317.

§. XI.

Libertas utique male definiretur per potentiam ex duobus contrariis vel contradictoriis alterum eligendi sine omni motivo *a*,) ast nonnunquam tali modo libertatem sese exserere experientia docet *b*,) nec ratio refragatur *c*,) Ergo hæc specimina plane illustria libertatis nostræ omnino sunt asserenda.

a) quicquid enim bonum nobis esse judicamus, non possumus non velle; quicquid malum, nolle: persæpe unum tantum occurrit bonum, ut reliqua possibilia omnia sint mala; in hoc casu ne quidem optio relinquitur animæ, hoc tamen non obstante Mens libere vult bonum. Sapiens, pius, virtuti deditus, prudens pleraque ex motivis volunt sine detimento libertatis. Scriptura S. piis maxime & καὶ οὐκ τριβuit libertatem, qui tamen nonnisi moraliter bonum volunt; quis Angelis in bono confirmatis libertatem denegabit, quamvis peccare nequeant? in tantum igitur consentio cum Wolffio Metaph. §. 511.

b) in hoc dissentio a Viro Celeb. ejusque §. 498. Metaph. propositum casum vel exemplum in probationem Theseos meæ invertens: ponit duos numos aureos ad apparentiam saltem externam sibi invicem simillimos Titio proponi, ut unum eorum sibi eligat: arbitratur, electurum esse eum, qui propior sit & commodius arripiatur. Quodsi vero ponam casum admodum dabilem, esse ambos in eadem distantia, & eadem commoditate vel incommoditate depromendos, annon sine motivo apprehendet Titius alterum, alterumque negliget? Stabit igitur pro ratione voluntas; id quod etiam circa plura bona sibi invicem, minimum quoad apparentiam nostram, æqualia fæpsime observatur.

c) de Principiò indiscernibilium, unde objecio speciosa desumitur, §. XIII. agemus.

§. XII.

§. XII.

Ergo libertatis conceptus unice collocandus est in activitate Mentis, sive intelligendo sive volendo sese exerat a,) hinc demum sequitur libertas contrarietatis & contradictionis, quando nimur optio nobis relicta est b,) itemque quod in æqualiter bonis sine motivo alterutrum eligamus c.)

a) adeoque non est peculiaris facultas, multo minus Voluntatis h.e. facultatis facultas, quod absurdum iiprimis Lockium male habuit, & in varias confusiones circa doctrinam de libertate deduxit lib. II. de Int. Hum. c. 21. Hanc ipsam activitatem Spontaneitatem etiam dicunt: esse eandem in nobis intima experientia certissime convincimur, ut non possimus non actiones Mentis nostræ, volitiones cumprimis, nobis ipsis ceu autoribus imputare. Hæc igitur activitas modo tribuatur Menti, salva est omnis Philosophia Moralis, quæ tolleretur omnis, si Mentis activitas tolleretur eademque exterræ coactioni subjiceretur. Eodem tendit doctrina Wolffii §. 518. Metaph. rationem actionum animæ in ipsa anima statuens: quæ contra Wolffianam de hoc arguento doctrinam ex male intellecto Systemate acerrime disputata fuerunt, Bulffinger l. c. solide excusfit.

b) Ergo, si vel maxime in omnibus actionibus libertas contrarietatis & contradictionis occurrerent (de quo tamen dubito) consecutarium constituent libertatis, non definitionem.

c) Ex eadē causa illid: Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas, ex definitione libertatis exulat: multo magis autem displicet definitio libertatis Wolffiana, quæ id ipsum negat: ita enim se habet: Libertas est potentia animæ sua sponte ex duobus æqualiter possibilibus eligendi, quod maxime ipsi placet. Metaph. §. 519.

§. XIII.

Vt indifferentia objectorum & illustria, quæ ante nominavi, libertatis specimina tollerentur, excogitatum videtur Principium idendifitatis indiscernibilium, quo negatur, duas res in universo mundo sibi invicem per omnia ita similes esse posse, ut solo numero differant a:) fundatur in Principio rationis sufficientis, quod vero sicut in universum supra refutatum est b,) ita hoc loco novis indiciis falsum comprehenditur c.)

a) Wolff. Metaph. §. 586. seqq. Bulffinger Diluc. §. 94. Leibnit. Ep. IV. ad Clarkium §. 4. 1qq. conf. Bulff. §. 298.

b) Specim. I. §. 17.

c) Vis

c) Vis argumenti hæc est : Si duæ res sibi essent exacte similes , nulla esset ratio , quare A. sit potius hoc loco hoc tempore quam B. nihil autem esse potest sine ratione sufficiente Regero : licet rationes nobis sint incognitæ , non sequitur dari nullas : anne omniscius est Philosophus ? deinde quoniam A. & B. supponuntur sibi omnino similia , ob hanc ipsam similitudinem & indifferentiem ens liberrimum pro lubitu alterum huic alteri loco vel temporide destinavit , ita ut liberrima hæc volitio sit ratio sufficiens , cur A. potius quam B. sit hoc loco vel tempore . Adhæc , si firmo starent tali bina hæc Principia rationis sufficientis & idenitatis indiscernibilium , Deo adimeretur potentia producendi duo sibi invicem perfecte similia , adeoque Potentia ipsius esset limitata . Quando vero Leibnitius & Wolffius Metaph . § . 590 . ad experientiam provocant , provocabo ego ad numos aureos , quorum ex una eademque fabrica complures reperientur ita exacte sibi invicem similes , ut ne per microscopia quidem differentiare reperiatur queat .

§. XIV.

Animas post corporis mortem superstites futuras esse ex justitia Dei demonstratur b,) atque hæc doctrina inter præcipua fulcra Philosophiæ Moralis referri debet ; an vero sine fine æternum sit duratura , Philosophia nescit , quamvis Scripturæ S. id ipsum affirmanti minime refragetur .

a) abstineo ab ambiguo immortalitatis termino : quamvis enim certum sit , mori non posse , ut corpus , quia simplex est , mori tamen posset annihilatione : nec securos nos præstat contra metum annihilationis , quod particulæ materiæ in corporis dissolutione non annihilentur , neque sufficit vi naturæ Mentis non sequi annihilationem ; & nullam adesse rationem , cur anima a Deo annihilari debeat , uti existimat Thummig in Diss. Halensi de Immortalitate Animæ § . 21 . namque annihilabilis æque est Anima , ac creabilis ; Ergo certi non sumus eandem non iri annihilatum , nisi sciamus , Deum non velle ipsam annihilare statim a mortuo corpore , in primis quando ceu substantia incompleta consideratur .

b) quandoquidem Deus non potest non pœnas malis destinasse , cumque in hac vita plerique easdem non sentiant , aliam post hanc vitam futuram esse oportet ; quam demonstrationem Leibnitius protulit in Epistola Censoria de Puffendorfi Officiis Hominis & Civis in Neuen Bücher - Saal Tom I . p . 839 . ex præmiis bonos in futura vita manentibus argumentum æque firmum non esse arbitror . Modo autem certum sit , superstitem corpori futuram esse Mentem , conscientia ipsius , memoria atque hinc emergens capacitas pænarum ac præmiorum facili negocio concludentur , conf . citata Thumigiana Dissertation .

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM
DE
METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA
SPECIMEN IV. ANTHROPOLOGICVM.

§. I.

Harmoniaë Præstabilitæ a) præcipuum, b,) quamvis indirectum argumentum fundatur in falsitate reliquorum possibilium de Commertio Animæ & corporis Systematum; c) primum igitur dispiciemus, an falsitatis hæc satis fuerint convicta.

a) Systema hoc ab illustr. Autore Leibnitio variis in locis passim propositum post Celeb. Wolffium in Metaph. §. 760. sqq. eruditissimus Bulffingerus optime exposuit in Diss. peculiari Tubing. 4. 1721. in Commentatione Hypothet. de Harmonia Animi & corporis humani præstabilita &c in Dilucid. §. 318. sqq.

b) Bulffinger Comm. Hypoth. §. 86. sqq.

c) nondum tamen ex falsitate reliquorum Systematum, si vel maxime concederetur, veritas Harmoniaë Præstabilitæ satis probatur; posset enim etiam hoc Systema esse erroneum, adeoque nos modus Unionis inter Mentem atque Corpus omnino latere. Mirum id non videbitur, considerantibus, corpus sine imaginatione concipi, & solo intellectu Puro cogitari debere, unde difficultas maxima circa modum commercii, quod inter Mentem & Corpus intercedit quodque mysterium philosophicum merito appellatur, a priori cognoscitur, & modestia philosophica in hoc præcipue argumento inculcatur. Posset hinc quartum Systema elogi, idque *Systema Ignorantie* nominari, cuius denominationis novaratio ex sequentibus addi posset, ubi influxum statuemus, modum influxus ignorare ingenue profitebimus.

§. II.

Systema influxus sive accuratius a) loquendo corpus agere in Mentem, hanc in corpus, non quidem, nudis experimentis b) sed accedente Inductione Verulamiana c) probatur, atque passionibus Mentis d) corroboratur.

a) Vocabulum influxus allegoricum est, unice ideo adhibitum, ut diversissima quatuor causarum genera (inter quæ finis est non-ens, cum reliqua sint entia, forma & materia non differunt ab effectu, materia passiva se habet, cum Efficiens agat) obtorto collo sub uno vacuo fono Causæ in genere quasi sub genere comprehendi possent, quare merito ab eodem abstineamus.

D

a) Obs.

- b) Objectiones Wolffianæ & Bulffingerianæ II. cc. de vitio subreptionis, disseruenda experientia a subseguente nimis celeriter judicio, Fallacia non Causæ ut Causæ, de sola comprætentia duorum Phænomenorum magni sunt æstimandæ; occasionem enim suppeditant, accuratores instituendi probationes.
- c) hæc a vulgari quam ceu puerile rejicit Verulamius, admodum dissentit, atque variationibus in primis experimentorum nititur, quas Bacon de Augmentis Scientiarum lib. V. c. 2. in primis exposuit, atque exinde Morhofius excerpit in Polyhist. Physico cap. I. conf. Dn. Prof. Mulleri. Collegæ mei Honorablem Ars Experimentandi Collegio Experimentali præmissa. Hac inductione ipse Dn. Wolffius in Physica Experimentali, aliique Physici ita feliciter usi sunt, ut plura de Causis Phænomenorum dogmata, quæ olim conjecturis erant annumeranda, nunc certitudine sensuali cognoscantur, instar omnium sint Iridis Magnetis, Eclipseon exempla. Insigne huc inductioni robur addut artificiales imitationes, atque Prognostica eveniū respondentia. Applicabo nunc nonnullas harum doctrinarum præfenti arguento. Repetitio constantissime sine omni exemplo in contrarium docet, impressionibus in organa sensoria factis respondere illico convenientes: Mentis preceptiones, volitionibus motiones corporis, quæ dicuntur voluntariae. Cadunt ergo instantiae Dn. Bulffingeri in Comm. Hypoth. de Harm. Præst. §. 26. not. e. ex Astrologicis aliisque artibus curiosis petitiæ: haud paucis enim exemplis contrariis infringuntur. Nobis autem adstipulantur Prognostica, horumque eventus: quotiescumque enim voluerimus quasdam motiones corporis voluntarias, hæ subseuentur, & quotiescumque objecta quædam organa nostra sensoria affecerint, afficietur etiam Mens. Accedunt artes, quibus in animis aliorum per proposita objecta; quibus in primis delectantur, & cognitionem eorundem & appetitum excitamus. Variatione experimenti, Inversione & compulsione ad annihilationem vel privationem virtutis discimus, præsentato celeriter alio objecto aliam oriri in Mente representationem, destructo organo sensorio nullam oriri ideam ex objectis ad illud organon pertinentibus, in cœco nato nullam dari luminis & colorum ideam, mutatis volitionibus mutari motiones corporis voluntarias. Ex his aut concludendum est, causas sensationum in corporibus sensibiliibus, & causas motionum corporis voluntiarum in mente volente esse quæreidas, aut de manifestissimis causarum in Iride Magnete Eclipsi indicis Scepticorum instar dubitare oportet.
- d) prævideo Objectiones non nullas, quibus obviam eundem duco passionibus Mentis, qui sunt præsentationibus in vitiis Specim. III. §. VII. not. b) demonstravi, passionibus autem his respondere debet actio in objecto, E. huic competit actio in Mentem. conf. D. Eliæ Camerarii Unionis Animæ cum corpore Systemata tria in unum sula p. p. 15.

§. III.

Canoni: Effectum integrum æquipollere Causæ plenæ; a) ejusdemque applicationi contra sententiam nostram, b) oppono

no distinctionem Causæ principalis, & minus principalis, c)
atque posteriorum tantum cum Menti agenti in corpus, tum
corpori agenti in mentem vindico. d)

- a) ex Leibnitio Canonem hunc Metaphysicum ex hibet Bulffinger Comm.
Hypoth. §. 62, explicat, inter effectum & Causam perfectam semper æqua-
tionem obtinere; effectum non posse esse potiorem sua causa.
- b) quæ dum ex motu corporis perceptionem Mentis derivare sustinet, ef-
fectum fingere potiorem Causa judicatur, id quod sit absurdum.
- c) distinctio notissima, facilissima est & maxime necessaria. Principalis Causa
audit, cuius virtus sufficit effectui producendo, minus principalis, cuius
vis non sufficit; posterior comprehendit ministerialem, quæ activa, in-
strumentalem, quæ passiva ad effectum concurrit e. g. Scriptor Sacri,
quamvis Causæ principales Scripturæ S. agnoscit nequeant, Causæ tamen,
sed minus principales omnino haberi debent.
- d) Canon oppositus de Causa principali unice intelligi potest & debet. E. sen-
tentiam nostram non ferit. Multum vero refert Causas minus sufficientes
considerare, atque inde tanquam per scalas ad Deum Causam maxime suf-
ficientem ascendere.

§. IV.

Neque magis difficultis est responsio ad Regulas illas: Nihil
esse sine causa sui, in effectibus determinatis debere esse ratio-
nem determinationis, proportionem non esse inter heteroge-
nea; quæ contra actionem Mentis in corpus præcipue profe-
runtur.

v. Dn. Bulffingeri Comm. Hypoth. Sect. III. & Dilucid. §. 327. sqq. habemus
nos Causas principalem ac minus principalem, atque ab utraque sufficien-
tem rationem determinationis: neque mirum videri debet ad Causam prin-
cipalem nos illico confugere, cum Harmonia Præstabilita non traditori gra-
du eo convertatur. Quæ autem de proportione dicuntur Mathematica
sunt imaginationem afficiens, non Metaphysica, quæ intellectu Puro unice
capiuntur.

§. V.

Immota igitur stat veritas experimentalis Inductione fo-
borata, a) atque ad hanc ceu normam examinare oportet Axio-
mata fictitia, b) tantum abest, ut illa ex his lapefactari possit.

- a) sc. motines corporum quandoque ita efficaces esse, ut perceptiones, ceu
passiones Mentis inde oriantur, & e contrario Mentem quandoque voli-
tionibus suis motum causam in membris corporis alioquin quieturis.
- b) instantia enim vel unica ostendit falsitatem Axomatis,

D 2

§. VI.

§. VI.

Ambabus autem concedo manibus, modum harum actionum mentis in corpus & corporis in mentem nos latere, imo non posse non latere; a) quis vero ex ignorantia modi concludet rem ipsam esse negandam?

a) conf. §. I. hujus specimenis.

§. VII.

Proxime ad Systema nostrum accedit Systema Causarum Occasionalium vel Assistentiarum, a) dum enim solum Deum Causam motus appellat, terminum Causae in rigore pro Sola principali accipit, b) dum vero res a Deo conditas occasions nominat, Causas minus principales concedit. c)

a) cui Systema hoc sit tribuendum, nunc non disputabo, cum Harmoniae defensores quæstionem hanc historicam declinant. Cartesio tribui non posse manifestum est vel ex Solâ Parte I. de Passionibus & imprimis ex Art. 34. id quod prolixius ostendit Andala Diff. de Vnione Mentis & Corporis Physica, neutquam Metaphysica §. 18. sqq. qua omni dissertatione id agitur, ut ostendat genuinos Cartesianos reciprocant aliquam actionum & passionum mentis & corporis dependentiam, commertium & communicationem, idque rectissime asserere, Malebranchio, Geulingio aliisque spuriis Cartesianis veram omnem operationem harum substantiarum in se invicem negantibus. Cum vero B. nostrum Sturmum Philosophiae Eclecticæ insignem & ferme primum per Germaniam restauratorem ac promotorem ubivis præcipuum Systematis Causarum Occasionalium defensorem putari videam, hujus imprimis sententias nunc respiciam.

b) id quod ex Sturmii Physica Erotematica p. 52. luculententer petet, ubi Mens tem Causam esse motionum voluntariorum ideo negat, quia ubi vim istam voluntatis suæ motricem putativam ad alia quædam, & levissima quidem e. g. ad pulvirculum aliquem e vestimento immediate removendum converterit, omnimodam suam producendi vel minimi motus impotentiam non sine pudore deprehenderet, itemque in accelerandis vel retardandis cordis pulsibus, impedientis uteri generandis functionibus, vel in præternaturali motus defectu paralyseos apoplexias supplendo, aut convulsione excessu cohibendo, imbecillitatem, inertiam, imo istorum omnium, unde, quando, & quo modo fiunt, plenam ignorantiam prodat. Tunc ergo Viro Celeberrimo Mens esset Causa, bene gnaro omnium motus requisitorum pro lubitu quascunque corporum motiones produceret h. e. si Causa esset illimitata, prima, principalis.

c) Occasionis vocabulum ita vagum est, ut nunc objectum, nunc causam impulsivam, nunc activum quid, nunc passivum denotet, ut consultius sit ab

ab eodem abstinere in Philosophia, quam uti. Interim tamen manifestum est, Occasionalistis Causas, quas secundas alij nominant, aliquid contribuere ad effectum. Imo Sturmius l. c. § 6. primæsummæque Causæ omnium vere efficienti, non aliunde motæ vel actæ, subordinari causas istas creatas, tanquam secundas (quas vocant) facile patitur; dummodo patiendo agere ipsas, actas agere, motas moveri, nonnisi instrumentaliter (ut securis in manu lignatoris) aut occasionaliter (ut aperiens valvas) operari, nec alia quam ipsa, illa divina virtute agere, vel agi potius agnoscantur, quod haecenus evicerit; dummodo non concursum solum aliquem Virtuti divinæ, cum alia creaturarum propria virtute (quam figmentum esse demonstraverit) sed totum quantus quantus est, effectum ipsi Soli immediate ubicue (non suppositi quidem, virtutis tamen immediatione) operanti, tribuendum, vi dæorum, meminerimus.

§. VIII.

Objectio a miraculis perpetuis, quæ Systemati Assistentiae tribuantur, a) ex idea miraculi facile resolvitur. b)

a) a Leibnitio, Wolffio, Bulffingerero v. hujus Comm. Hypoth. §. 77. & Diclid. §. 335.

b) siue miraculum definias quæ optima est definitio, per suspensionem legum naturalium; habent enim Occasionalistæ suas regulas motus naturales v. Sturm. Phys. Erotem. p. 54. siue explices per immediatam Dei operationem quorū Bulffingerus tendit II. c.c. ordinarie enim Deus agit medianibus occasionalibus causis, extraordinarie & miraculose sine his: repetenda hic est ante ex Sturmio prolata distinctio inter immediatatem virtutes & suppositi. Bælius in Diction. Art. Rorarius, ubi de Harmonia Leibnitiana disputat. p. 2480. D'ailleurs la raison, pourquoi cet habile homme ne gôute point le Système Cartésien, me paroit être une fausse supposition, car on ne peut pas dire que le Système des Causes occasionnelles fasse intervenir l' action de Dieu par miracle, Deum ex machina, dans la dépendance réciproque du corps & de l'ame; car comme Dieu n' y intervient que suivant des Loix générales, Il n' agit point là extraordinairement, & p. 2482. Je souhaite qu'on prene garde, qu' en avouant, que cette voie éloigne toute notion de conduite miraculeuse je ne me retracte point de ce que j' ai dit autrefois, que le Système des causes occasionnelles ne fait point intervenir l' action de Dieu par miracle. Je suis persuadé autant que jamais, qu' afin qu' une action soit miraculeuse, il faut que Dieu la produise comme une exception aux loix générales & que toutes les choses, dont il est immédiatement l' auteur selon ces loix-là, font distinctes d' un miracle proprement dit. Ex hisce observationibus Bælianis scopo nostro admodum convenientibus simul patet, sine omni specie Andalam Diff. c. §. 27. Systemati Leibnitiano objicere, id ipsum non minus, imo magis supponere perpetua miracula, ac majora, quam illud Causarum Occasionalium. Adendum denique ex Mente Sturmii Deum non ita concipi negociosum, ut in occasione singulas noviter iterando labore universos in mundo mo-

tus jugiter exercere existemetur, sed semel tulisse leges motuum universaliſſimas, atque unicam hanc Dei potentissimi volitionem in omnia temporum locorumque puncta & momenta se efficacissime exporrigere, ut ulla ejus iteratione unquam aut uspiam opus haut quaquam sit futurum, l. c.
P. 54. 55.

§. IX.

Cadit ergo argumentum Harmoniæ Præstabilitæ indirectum, neque firmiora sunt argumenta ejusdem directa, quæ Mente & Corpus per modum duorum *automatorum* concipiunt, ubi consequentia ita pendeant ex antecedentibus, ut utrobius præsens gravidum sit futuro.

Vtrumque momentum in antecedentibus Speciminibus Cosmologicis & Psychologicis jam discussimus; quod attinet ad Mentem, non tantum electionem Mentis urgeo inter duo æqualiter bona sine motivo ex §. XI. Specim. III. Psycholog. sed varias etiam & innumeras perceptiones sine ullo nexu in Anima querendo sese excipientes, quas Dn. Hollmannus urget Tr. de Harm. Præst. Diss. post. §. IV. sqq. cum quibus conferti merentur Dn. Bulffingeri responsiones in notis ad Dilucid. p. 358. sqq. quod corpus concernit, neque mundum machinis esse annumerandum, neque eandem virium moventium quantitatem fatis probatam esse Specim. II. §. VI. not. a. probavi, cum quibus conf. Hollmanni Tr. c. §. XII sqq. evolvi hic omnino meretur Casteli Epistola de immutationibus in tellure nostra a libero hominis voluntate oriundis, quam ex Diario Gallico Trevoltensi prolixius excerpunt Gelehrte Zeitungen a. 1723. p. 908. sqq.

§. X.

Consequentiis Harmonia Præstabilita urgetur gravissimis, primum enim tollit imputationem actionum hominis exteriorum, a) deinde dum idearum originem ex objectis negat, atque evolutione Animam ipsam easdem producere fingit, omnem operam experimentis impensam, modum discendi auditu atque lectione frustraneas reddit b) atque ad reminiscientiam Platonicam quam proxime accedit.

a) imputare est aliquem rei cuiusdam autorem vel Causam efficientem habere: cum vero secundum Harmoniam Præstabilitam Mens non sit Causa efficiens motionum Corporis. istæ sane Menti imputari nequeunt. Sola moralis dependentia quæ destituatur physica, imo huic refragetur, non sufficit, neque entia moralia toto cœlo a physicis diversa fingere licet. Imputatio-
nem actionum immanentium et libertatem Menti per Harmoniam non de-
strui,

frui, manifestum puto ut de controversis hinc suscitatis nihil existimem
hoc loco esse addendum.

b) elicit etiam hanc Conclusionem D. D. Langius Ausfuhrl. Entdeck. p. 120.
quædam etiam attigit Andala Diff. cit. §. 65. & alibi, non ignoro Wolf-
fum & Bulffingerum negare has conclusiones ex Harmonia deductas, ast
ita comparata est hæc negatio, ut videantur admittere in Præticis ceu ve-
rum, quod in Theoreticis ceu falsum rejiciunt.

§. XI.

Quam incredibile autem est, ne dicam impossibile, a) in-
tegrum Systema verborum sive scriptorum sive viva voce pro-
latorum, atque experimentis egregiis otimeque ordinatis cogi-
tationibus aptum potuisse oriri ex Mechanismo ex solis viribus
corporum moventibus sine vi activa Mentis : b)

a) quod Bælius existimavit l. c.

b) admittit hanc conclusionem ex Harmonia deduclam Wolffius Metaph. §.
836. sqq.

§. XII.

Minime omnium concedere possum, Harmoniam Præ-
stabilitam ita leviter cohærere cum reliquo Systemate Meta-
physico, ut paucis immutatis aliud Systema e. g. influxus in
locum ejus, surrogari possit.

id quidem afferuit Dn. Wolffius Annot. ad Responsum D. D. Budei p.
96. sqq. ast vero per Harmoniam & ejusdem fundamenta Dn. Wolffius
Metaph. §. 820. rejicit originem idearum extrinsecus a rebus ipsis peten-
dam, quæ si admittetur, non tantum integra Metaphysica sed omnis
etiam Philosophia aliam obtinerent formam, uti ex Specim. l. §. 19. di-
versisque doctrinarum hujus §. hic & alibi applicatarum Speciminibus lu-
culenter patet.

§. XIII.

Non superfluum videtur hoc loco recensere atque refelle-
re Objectionem contra Systema influxus, quod maximam par-
tem nostrum fecimus, desumendum ab immortalitate animæ,
cum qua Systemata Occasionale & Harmonicum optime, no-
strum vix ac ne vix quide[m] conciliari posse videntur.

Ob-

Objectionem tangit Celeb. Wolffius in Annot. Metaph. §. 340. ubi ob.
 "servat, in vulgari Influxus Systemate difficile videri conceptu Animam
 "post mortem non obdormiscere; quoniam operari nequit, nisi vis
 "eiusdem antea per corpus eo fuerit determinata; cum in duobus re-
 "liquis Systematibus Anima corpore non indigeat, sed sine ipso cogitare
 "possit; unde colligit hæc Systemata magis favere immortalitati Ani-
 "mæ, quam vulgare. Non nego magnam inesse Objectioni huic speciem,
 Quando ideæ ex rebus per sensationem unice oriuntur, absente omni
 organo sensorio nulla oriri potest idea, sicut in cœco nato ob corru-
 ptos oculos nulla visibilium est repræsentatio: Vbi nullæ ideæ, nullum
 etiam est judicium, nullum ratiocinium: Ergo anima post mortem super-
 stes omni destitueretur cogitatione, adeoque non esset Anima. Regero
 primum, non omnes oriri ideæ ex sola sensatione, alter enim fons idea-
 rum est reflexio: hac primum sui ipsius suarumque actionum & passio-
 num notitiam obtinet Mens nostra, sicut tentatione rerum corporea-
 rum. Ergo etiam sine corpore Mens non sui tantum, sed accedente
 comparatione & ratiocinio aliorum Spirituum cum primis Dei notitiam
 denuo acquirere potest, id quod sufficit cum pro beatis, ut Dei co-
 gnitione delectentur, cum pro damnatis ut eadem terreatur & angan-
 tur. Secundo ne quidem opus est, ut novæ oriantur in Mente post
 mortem ideæ, sicut enim, qui oculorum usum amisit, non illico amittit
 ideas per oculos olim obtentas, ita etiam Mens a corpore separata
 varias retinere potest ideas, ministerio corporis olim ortas, ubi tamen
 monendum, sublato corpore tolli etiam imaginationem, atque cum hac
 ideas rerum corporearum, nisi quod abstractæ ideæ corporibus & Spi-
 ritibus æque applicabiles residuæ esse possint.

§. XIV.

Tandem Harmoniam præstabilitam, si firmo staret talo,
 insignia argumenta existentiaz & attributorum divinorum sup-
 peditaturam esse, lubentissime concedo; a) ast nostrum Syste-
 ma majora atque luculentiora divinitatis vestigia comprehen-
 dit. b)

- a) vel propter solam loquaciam Mechanicam, de qua §. XI.
- b) dum Systema nostrum, quod Causarum etiam minus sufficientium dici posset.
 ad Causæ sufficientis Dei cognitionem illico quasi manuducit; dum DEO
 effectus quotidianos adscribimus captum nostrum superantes, dum Mundi
 perfectiorem atque DEO convenientiorem habemus ideam Specim, II,
 §. VI, not. d,);

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM
DE
METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA
SPECIMEN V. THEOLOGICVM.

§. I.

Quo majoris sunt momenti Philosophicæ de DEO, summo nostro Bono, summo autore & legislatore, doctrinæ, eo majorem desiderant *anerbaas*.

Ergo scripta Theologiam Naturalem minus accurate pertractantia magis merentur libris prohibitis annumerari, quam ipsi libri impii, cum primis si cum solidis animadversionibus & refutationibus isti publicentur. Etenim proclivis ad Atheismum vel Deismum litteratus, sicuti objectiones impias primum recensitas, post male refutatas legerit, facillime illas arripiet magisque roborabit, per ineptas autem refutationes a veritate deterrebitur: cum minus proclivis ad hæc absurdâ vel sola lectione solorum profanorum dogmatum dissolutas scopas & absurdâ supposita non possit non advertere, adeoque ab ipsis abhorrere & in opposita veritate confirmari.

§. II.

Eum in finem consultum, imo necessarium est, in singulis argumentis Atheum aut Deistam sibi ob oculos ponere, atque in probationibus ea uti circumspectione, ut ab incusationibus vitiorum cum aliorum, tum præcipue Petitionis Principii immunes sint, et adversarios e contrario convincere possint.

Alias facillime evenire potest, ut veritates e revelatione satis nobis cognicas levissimis atque miserrimis ratiunculis demonstrare conemur, iisque veritatem prostituamus, atque errantes in erroribus suis confirmemus, id quod sola illa misera ratiocinia, quibus nonnulli mysterium S. S. Trinitatis demonstrare voluerunt, luculenter satis comprobant.

§. III.

Quamvis argumenta ponderare magis quam numerare oporteat, in hoc tamen gravissimo objecto cuius cognitio ad omnes omnino homines pertinet, a) numeri est habenda ratio, b) si quidem plura dantur solida argumenta. c)

a) Ergo etiam ad vulgi captum accommodanda est Theologia Naturalis.

E

b) Tanta

- b) Tanta enim est captuum in hominibus diversitas, tanta animorum ingenio-
 „rumque dissimilitudo, ut, ubi verum quæritur, argumenta quædam maxime
 „commoveant aliquos, quæ velut ex alio situ, distantia ac latere aliisve ocu-
 „lis respicientes alii, aut prorsus non percipiunt, aut percepta ut cunque,
 „faciunt flocci, & tanquam exigui ponderis adspersantur. Quæ cogitanti
 „parum consultum & parum æquum videbitur, si quis una quadam ratione
 „præ ceteris maxime permotus, ideo ceteras statim suadeat abjiciendas esse,
 „quæ veritatem aliis possint prosuadere, & multis feliciter persuaserunt:
 „quæ verba sunt Celeberr. D. J. A. Fabricii, in Delectu argumentorum &
 Syllabo Scriptorum de Veritate Relig. Christ. Cap. X. p. 324.
- c) Ast dantur plura eaque non contemnenda divinæ existentiæ argumenta;
 quamvis enim non habeamus argumenta valida *a priori*, sive cum Aristote-
 licis per causam, sive cum Mathematicis per ideam *το* prius explicetur;
 plura tamen in promptu sunt argumenta *a posteriori*, ubi minor Propositio
 semper est *Physica*, major *Metaphysica*: non urgebo nunc minorem innu-
 meris speciminibus declarari posse, quorum unumquodque facile nonnullis
 peculiare argumentum videtur, monebo potius, in majore Propositione
 nunc *ex insufficientia Causarum secundaram primam*, nunc *ex finibus Condi-*
torem sapientissimum, nunc *ex contingentia rerum omnium ens necessarium*
colligi. Adhæc aliud argumentum est *certum*, aliud *probabile*; aliud *direc-*
tum, aliud *indirectum*, e. g. argumentum existentiæ divinæ a tuto petitum
indirectum videtur & probabile, conf. Fabricius I. c. p. 283. contra Vener.
 Mosheimum probationem hanc vindicans. Neque argumenta *κατ' ανθρωπον*
negligenda putaverim. Siquidem his animus præparari potest, ut argumenta
κατ' αληθειαν facilius admittat. Tandem indicatis hucusque argumentis
Philosophicis addere licebit ex B. Speneri Theol Bedenck, horumque initio &
 D. Fabricii laudato libro de Ver. Rel. Chr. cap. XII, §. I. & II. argumentum
Theologicum, quo Sacrae litteræ attento & veritatis cupido animo lectæ virtu-
 te sua divina etiam dubitantem de Dei existentia simulque de Scripturæ divina
 autoritate reddunt certissimum.

§. IV.

Argumentum Raphsonii a) neque a Wolffio bene refutarum,
 b) neque a Langio bene defensum est, c) defendi tamen potest. d)

- a) in Demonstr. de Deo, p. 13. ubi Propos. I. Ens a se ipso existit, ita demon-
 strat: Aliquid existit, per postul. I. Sed nihil nihil potest per Ax. I. Ergo ali-
 quid existit a se ipso, h. e. Ens a se ipso (quodcumque illud sit) existit.
- b) qui in Ratione Prælect. p. 154. Hoc argumentum, inquit, vitiosum est in
 forma, nullam enim inde formam excalpes, quantuscunque fueris argu-
 mentandi artifex, neque ullum crypteos genus committisci licebit, quo ar-
 gumentum servare possis.
- c) Hanc enim formam Syllogismi conditionalis inde exculpit: Si aliquid ea-
 rum, quæ existunt, (secundum postulatum) don existit a se ipso, sequitur,
 ut nihil aliquid possit. Sed falsum est posterius, quod nihil aliquid possit,
 (per

(per axima) Ergo & prius: aliquid eorum, quæ existunt, non existere a se ipso, in Modesta disquisitione p. 201, 202, ast conclusio hujus argumenti contra Raphsonii & Venerandi Autoris mentem negat dari ens ob alio, adeoque neque directe neque indirecte innuit dari Eos a se: nulla etiam est & Raphsonio contradicit consequentia: Si quædam existentia non existunt a se, h. e. existunt ab alio, sequitur nihil aliquid posse.

d) observo nimirum 1) integrum Raphsonii demonstrationem esse evolendum, unde elucescat, eandem quam maxime accedere ad argumentum Wolffianum & contingentia rerum petitum: 2) Raphsonio & plerisque Mathematicis ac logis methodum Mathematicam hucusque visam fuisset toto cœlo diversam a Syllogismis, v. Rœtenbeccii Log. Q. 1916, hanc observationem tetigit etiam D. Langius l. c. 3) Facili tamen opera & quidem ad mentem Raphsoni in contextu conspicuam hanc elicio argumentandi formam indirectam:

Aut existit Ens a se, aut nihil existit, aut nihil aliquid potest. Sed falsum est membrum 2. per Axioma, falsum est membrum 2. per post. E. restat ut verum sit membrum 1. Ens a se existere.

vel: Si non existeret ens a se, sequeretur aut nihil existere, aut nihil aliud posse: Sed absurdum est utrumque. E. etiam prius. 4) Cryptin hic cernimus omissionis quoad majorem vel consequentiam disjunctivam; deinde æquipollentia, æquipollentes enim sunt istæ Propositiones: Verum est, aliud existere; falsum est, nihil existere.

§. V.

Ex ordine tot tantarumque rerum, in primis in motu constitutarum, ens ordinans sapientissimum, potentissimum certissime concluditur, a) etiam seposita ordinis hujus contingentia. b)

a) Wolffiana Censura in Rat. Præl. p. 155. argumentum ceu vitiosum in materia ob præmissam fallam rejicit, deinde Fallaciæ dicti simpliciter accusat. Ast (quod *ως την παροδια* observare liceat) si esset Fallacia dicti simpliciter, laboraret vitio quatuor terminorum, nec niteretur præmissa falsa; si vero posteriori laboraret vitio, prioris simul argui non posset. Instantia ex Mathesi pura ab elegatissimo ordine in absolute necessariis, ob quem potentiae infinitæ numerorum, itemque infiniti numeri Polygoni unica formula generali complecti possumus, minime infringit Majorem hanc: Vbi datur ordo, ibi datur ordinans: siquidem 1) haec agit de entibus realibus, instantia de entibus rationis. 2) absolute necessarius est solus Deus. E. ordini numerorum prædicatum hoc tribui nequit. 3) ex ipso hoc ordine numerorum Algebraico certissime colligimus fuisse Mathematicos, qui numeros ita ordinaverint. E. firma est Major haec Propositio, nullo habito respectu discriminis inter ordinem necessarium & contingentium.

b) S. R. D. Langius in Ausfuhrl. Entd. p. 264. sqq. & Celeb. Apologeta S. R. U. Buddei in hujus æque ac aliorum argumentorum vindiciis contingentiam

præter necessitatem adhibuerunt, quo ipso tacite fatentur, nonnisi unicunq;
esse divinæ existentiæ argumentum, idque in contingentia fundatum.

§. VI.

Artificiosa structura non tantum universi Mundi, sed
singulorum etiam corporum, singulorumque organorum &
partium, quibus illa constant, Deum autem, sine fallacia
dicti simpliciter, luculenter demonstrat.

Vitii hujus præsens argumentum accusat Dn. Wolffius Rat. Præl. §. 155. Ar-
bitratur 1) de operibus artis per inductionem innotuisse illam sumptionem,
artificiosam structuram supponere artificem. Verum assumamus exempli
loco oculum artificiale vel cameram obscuram; non semper extitisse hanc
machinulam variis indicis constat, E. vel a se ipsa est producta, quod est
absurdum, vel casu quodam partes ejus ita convenerunt, quod pariter ne-
mini non videtur absurdum, restat igitur, ut a sapiente artifice productam
agnoscamus: Nullam hanc video Inductionem, neque etiam contrarium
ullius Inductionis est absurdum. 2) existimat probandum fore (id quod
impossibile ipsi videtur) quod de operibus artis annotavimus, idem ad
opera naturæ applicari posse. Miror Dn. Autorem, qui alibi mundum Ma-
chinis annumerare non dubitavit, hoc loco inter opera artis & naturæ tan-
tum querere discrimen, cum tamen illa nonnisi imperfectæ sint horum imi-
tationes, ut argumentum a minori ad majus locum hic obtineat, id quod
bene observavit D. Langius Ausfuhrl. Entd. p. 267. conf. B. Sturmii nostri
Oculus Prosternos.

§. VII.

Argumentum a novitate telluris, generis humani & uni-
versi Mundi contra objectionis Dn. Wolffii a) jam supra de-
fendi. b)

a) in Rat. Præl. p. 155. 156. existimat novitatis demonstrationem esse diffici-
liorem, quam existentiæ, imo negat hucusque publice fuisse demonstratam
ex principiis rationis. Deinde fallaciam dicti simpliciter duplē commit-
tere eos prohibet, qui ex eo, quod status præsens telluris ccepit, telluri
quoad omnem statum initium assignant, atque, quæ de tellure parte Mundi
monstrarunt, mundo integro illico applicare audent.

b) Specim. II. Cosmologico §. 9. & 11. adsunt nimirum indicia novitatis Mun-
di sensibilia, adeoque faciliora cognitu, quam Dei invisibilis existentia.
Adhæc cum Mundus valde sit compositus, tempus supponi debet, quo
componebatur, & ante quod nondum erat: imo modo agnoscatur produ-
ctus, licet producens adhuc ignoretur, vel inde tamen concluditur, non
posse esse æternum, per §. 9. Specim. II. ne quid dicam, necessitatem exi-
istentiæ, quæ unicum est æternitatis fundamentum, Mundo tribuo non posse,
atque æternitatem ceu perfectissimum existendi modum Mundo non com-
petere. Provocavi deinde ad Matthæum Hale, qui omnes de æternitate
Mundi

Mundi opinione distincte & accurate refutaverit. Tandem observavi, Mundum sine genere humano, sine tellure, sine praesenti telluris statu ex ipsis Philosophiae Wolffianae principiis non amplius fore hunc Mundum, adeoque concessa illarum rerum novitate, ipsius etiam Mundi novitatem negari non posse.

§. VIII.

Cartesiana deductio, in idea Dei, h. e. Entis perfectissimi, existentiam, ceu aliquam perfectionem necessario comprehendi perhibens, quamvis a Leibnitio & Wolffio satis non fuerit refutata, a) invalida tamen censi debet. b)

a) Ille in Act. Erud. Lips. A. 1684. p. 539. & Memoires de Trevoux A. 1701. m. Sept. & Oct. p. m. 276. hic in Rat. Prael. p. 156. unice desiderant demonstrationem de possibiliate perfectionis absolute summæ: ast possibilitas hæc nihil est, nisi negatio contradictionis, Ergo non video, quomodo probari possit hæc negatio; neque probatione indiget, et enim modo comprehenduntur inter se perfectiones summæ, summa potentia, summa benignitas, omniscientia, illico patebit, alteram alteri non contradicere. Ergo si alio defectu non laboraret hæc deductio, esset invincibilis.

b) Si accurata esset hæc argumentandi ratio, Axiomatibus annumeranda esset hæc Propositio: *Ens perfectissimum existit*, quod Werensfelsius observavit in Judicio de arguento Cartesii. Verum cum genuinum Axiomata ideas requirat, sola abstractione sine interveniente judicio aut ratiocinio a rebus ipsis desumptis, omnis autem Dei idea ex ratiocinio demum oriatur, manifestum est, deductionem hanc Cartesii esse Petitionem Principii conf. Diss. mea disquirens, an existentia Dei sit veritas indemostrabilis?

§. IX.

Præter modo refutatum argumentum a priori, aliud proposuit Cartesius a posteriori, quod evincere conatur, ideam Dei Deum pro causa requirere, adeoque Deum existere, a) quodque æque infirmum est ac prius. b)

a) v. demonstratio Geometrica sub finem Resp. ad Objectiones secundas reperiunda.

b) Fingit enim contradictionio conatu realitatem objectivam ideæ, distinctam a realitate extra ideas. Supponit admodum perfectam de Deo ideam, quæ tamen admodum imperfecta in hominibus est, negativa, relativa, ex Vi. Causalitatis, Eminentia, Negationis composita, adeoque hominem ipsum autorem indicat, tantum abest, ut soli Deo tribui possit aut debent,

argumentum a finibus rerum, uti præter soliditatem peculiari facilitate & perspicuitate gaudet, ita vindicari maxime meretur.

Dn. Wolffio in Rat. Præl. p. 157, quia a finibus rerum magna cum pompa pertinet argumentum, sumunt, quod non probant, dari rerum naturalium fines, unde veretur, ne sumptionem probaturi committant circulum vitiosum, in Comment p. 11, his utitur objectionibus: Antequam constat esse Deum, " & ab ejus libro decreto pendere præsentem universi conditionem, non " certo constat, utrum usus, quem sibi mutuo præstant res naturales, in finium numero collocandi sint nec ne: finis enim juxta notionem communem supponit agens liberum, quod eum intendit, & cujus gratia operatur. " Qui ergo res naturales contemplatus sumit, earundem usus esse fines, iste tacite supponit, structuras & texturas rerum earumque præsentem conditionem alias esse potuisse; sed has destinato quodam consilio electas fuisse, consequenter vi contingentiae existentiam entis, a quo Mundus pendeat, vitio quodam subreptionis in ratiocinando commisso sumit, hincque nascitur omne, quod sentire nobis videmur, argumenti robur. " Pro defensione argumenti observo 1) quamvis quoad usum simpliciorum quarundam rerum obscurum quandoque esse possit, num fuerit autor, qui usum hunc ceu siem intenderit, siquidem experientia edocentur, homines quandoque artefactis præter & contra intentionem artificis uti vel abuti; in compositis tamen mutuam partium relationem, coordinationem, commoda inde fluentia sine interveniente applicatione entis intelligentis vel utens vel abutentis, in commoda ex defectu vel unius partis oriunda, tam manifesta atque efficacia esse finis & destinationis indicia, ut non possumus non fines manu palpare, atque contrarium ceu absurdum rejicere, e.g. quis dubitare potest, oculos ad videndum, aures ad audiendum, oculi tunicae corneam monimento totius organi atque transmissioni radiorum, tunicae uvae mutabilem aperturam copiosiori vel parciore immisioni radiorum, humorem crystallinum refractioni eorumdem destinatos esse? Copiosus imprimis est in enumerandis rerum finibus pro convincingo Atheo Bern. Nieuwentyt in libro Belgico, cui tit: Verus usus contemplationis Universi. v. Fabricius de Ver. Rel. Christ. p. 288. 2) nego finem juxta notionem communem supponere agens liberum, vulgo enim causam finalem secernunt a causa efficiente, atque non in hac, sed in effectu querunt, imo finem statuunt, et si Causam efficientem libertate sua privent; concedo tamen 3) finem referri debere ad causam efficientem, ceu cogitationem voluntionem boni per effectum obtainendi: hoc autem non obstante citra viatum subreptionis ex finibus Deum concludimus: novimus primum indeterminate, ubique finis est, ibi est ens intelligens, volens; nondum autem determinamus, an istud sit corpus, an spiritus hominis, an ab utroque distinctum: post removemus corpus, removemus Mentem, ut superficit Ens ab utroque distinctum sapientia et potentia ac benignitate humanas mentes longe superans. Concedit Wolffius Comm. p. 20: Quod si leges methodi

methodi severius custodias, nondum demonstrata Dei existentia & universitas ab eodem dependentia, quod finium nomine in rebus naturalibus celebra-^c tur, notionem quidem sapientiae admirandae ingenerare posse, negat autem perfectissimam & absolute summam Sapientiam ita demonstrari: Regero, quae desiderantur, ad essentiam Dei sive conceptum primum quam proxime pertinere, Sapientiam autem admirandam pro conceptu secundo, tertio vel quarto, modo sit characteristicus, in demonstranda existentia Dei sufficere; ecquis enim Atheis annumerabit omnes illos, qui in conceptu Dei secundo subsistunt, cum vel ex hoc solo conclusiones practicæ de cultu divino satis deduci possint. Deinde moneo, modo primum ex paucorum quorundam finium consideratione ens admirandæ Sapientiae didicerimus, mox ubi in numerorum finium eorumque harmonicorum contemplationem addiderimus, nostram de Ente illo Sapiente cognitionem ad eam perfectionem elevatum iri, cuius pro imbecillitate nostra sumus capaces. Manifestum igitur est, ex finibus rerum accurate demonstrari posse Deum, & ea quidem ratione, ut opus non sit presupponere Deum & Mundi ab eodem dependen-^tiam, aut contingentiam Mundi in demonstratione adhibere,

§. XI.

Dictamen conscientiae, in primis uti penes Atheos ac impios se exerit, quamvis immediate Dei existentiam non demon-^{str}ret, nihilominus una cum consensu gentium naturalem docet inclinationem ad agnoscendum Deum, (quam notitiam insi-^{ta} tam appellant) ex hac autem ceu effectu Deus luculenter agno-^{sc}itur.

Ita in Diff. Anti-Bæiana de genuina ratione probandi a consensu gentium ex-^{ist}entiam Dei argumentum formandum duxi: Ad cujus existentiam agno-^{sc}endam mentes humanæ naturalem habent inclinationem, ea revera existit. Atqui ad Dei existentiam &c. E. Deus existit: Minorem sequens probat Pro-Syllogismus: Cujus existentiam 1) omnes fere gentes agnoscent, 2) Atheorum conscientia testatur, ad id agnoscendum homines naturalem habent propensionem. Atqui Dei existentiam &c. E. ad Deum agnoscendum homines naturalem habent propensionem. Intelligo nomine conscientiae non quemvis male fundatum angorem Phantasie, sed ratiocinium, cuius major propositio decretum divinum cum præceptione vel prohibitione, præmio ac poena repetit, minor & conclusio applicationem faciunt ad ipsum ratiocinantem. Provoco ad eos tantum, qui omnem de Deo cognitionem, ceu præjudicium infantiae vel educationis delere ex animo conantur, neque tamen extinguere penitus possunt. Cadit igitur exceptio, dictamen illud conscientiae esse persuasionem vanam educatione contractam, quam Dn. Wolffius in Rat. Præl. §. 157. non adeo facile refelli existimat, quam vulgo putatur, si nondum aliis argumentis evictum fuerit, dari Deum,

§. XII.

§. XII.

Locus Rom. II. 14. 15. a) nostræ favet sententiæ, namque præter jus naturale ad conscientiam provocat, ast neque hæc neque illud sine Deo ex stilo & doctrina Scripturæ S. intelligi potest. b)

- a) Wolffius I. c. Sunt, inquit, qui negant, conscientiæ dictamen Rom. II. 14. 15. commendari tanquam argumentum, quo probetur existentia Dei, cum tantum Apostolus eodem utatur ad stabiliendam existentiam juris naturalis, quod, uti notissimum, dari potest, etiam si nullus esset Deus.
- b) etenim ea, quæ textum citatum immediate antecedunt & sequuntur, Deum innuunt legislatorem atque judicem, modo observetur h. l. legem in speciali sensu de sola lege divina positiva intelligi. Illud vero cocedendum est, dictamen conscientiæ ceu argumentum existentiæ divinæ in textu hoc minime commendari. Sola minor Profyllogismi §. antec. prolati hic approbatur, majoris vero, vel argumenti principalis nullam hic reperio mentionem; Conscientia etiam actualiæ Dei notitiam involvit, non potentialem, quam insitam appellant.

§. XIII.

Omnis autem Controversia, an dari possit jus naturæ, etiam si nullus esset Deus, itemque an sint actiones per se honestæ & per se turpes antecedenter ad voluntatem Dei, Logomachiis mihi videtur esse annumeranda.

Etenim leges naturales ad voluntatem Dei naturalem sine controversia referuntur, sicut positivæ ad liberam: ex utraque parte in confessu est, Deum non potuisse præcipere vel permittere, ut e. g. homines Summum Bonum odio prosequantur, sese mutuo occidant, ita enim sapientissimum & perfectissimum Numen fibi ipsi & decretis suis creationem concernentibus contrariaretur, quod est absurdum. E. antequam Deum ceu legislatorem consideramus, jam cognoscere licet officia quædam. Vtrinque iterum in confessu est, Deum his officiis vim legum divinarum dedisse; sola igitur superest quæstio, an officia illa nomen legum mereantur, antequam nostro concipiendi modo Deus eorundem observationem hominibus injungere sub metu poenæ & spe præmii decreverit.

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM
DE
METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA
SPECIMEN VI. THEOLOGICVM.

§. I.

Argumentum pro existentia divina Wolffianum a) ex contingentia universi existentiam Dei concludens, adversus objectiones hucusque propositas b) firmo statalo.

a) quod sequentibus nititur Propositionibus; Existunt Mens nostra & Mundus corporeus: Nihil existit sine ratione sufficiente, cur potius existat, quam non existat; hæc sufficiens ratio non est in nihilo, sed in aliquo existenti; cumque nec in mente nec in mundo esse possit, ob contingentem utriusque existentiam, datur Ens a Mente & Mundo distinctum, continens rationem existentiae Mentis & Mundi; datur itaque Ens a se necessarium infinitum, intellectu & voluntate perfectissima praeditum, h. e. Deus. v. Celeb. Dn. Wolffii Metaph. c. VI. & ejusdem Annotationes ad h. l, in primis autem eruditiss. Dn. Bulffingeri Dilucid. Sect. IV. c. II.

b) a S. R. D. Langio Ausfuhrl. Entdeck, p. 279. sqq. & eruditissimo Dn. Apologeta S. R. D. Buddei Bescheidner Antvvort p. 19. sqq. & p. 97. nervus objectionum in eo consistit, Wolffium Mundo contingentiam serio tribuere non posse, eo quod æternitatem & fatalem necessitatem eidem assignaverit, qua de causa distinctionibus, quas in Comment. & Monito proposuit, inter necessitatem absolutam & hypotheticam, essentiæ & existentiæ nondum sublatas esse difficultates arbitrantur. Quod attinet ad æternitatem Mundi, non licet ex eo, quod omne necessarium est æternum, colligere, etiam vice versa omne æternum esse necessarium, adeoque Mundum, si æternus foret, statuendum esse necessarium: neque Wolffius afferuit Mundum esse æternum, sed negavit tantum Creaturam æternam esse contradictriam; præterea terminos temporis & æternitatis peculiari ratione explicavit; quamvis utrique nec sine ratione supra Specim. II. §. 9. 10 12, contradixet, nullem tamen consequias, si vel maxime sint legitimæ, Scriptori iisdem expresse contradicti imputare, in primis cum absurditas tum demum sit conspicua, quando termini in sensu magis recepto, a quo Wolffius recedit, accipiuntur. Necessitatem Mundi Wolffianam, quamvis major sit quam Physica necessitas, non tamen Metaphysicam esse, multo minus Stoicam aut Spinozisticam eodem Specimine II. §. 6. & 7. satis, ni fallor, demonstravi. Quod autem attinet ad necessitatem essentiæ a necessitate existentiæ distinctam, Specim. I. §. 10. sqq ostendi, a Wolffio essentiam & existentiam nimis discerni; hoc tamen non obstante sensum doctrinarum

F

Wolff.

Wolffianarum ex his ipsius fundamentis explicare & dijudicare oportet; cumque essentia sine existentia secundum conceptus non meos tantum, sed & Buddeanos & Langianos sit merum ens rationis, existentia autem demum ens reale constitutat, vel ex eo capite argumento Wolffiano suum constabit robur, quod contingentia, ex qua deducitur, ad ens reale, h. e. existentiam, est relata, non ad essentiam.

§. II.

Necessarium autem est, ut primum existentia Mundi realis adversus Idealistas stabiliatur, a) ut argumentum hoc neque pricipuum, b) neque unicum, c) neque a Via Causalitatis diversum d) existimetur.

- a) Wolffius ll. cc. & in Ratione Praelect. p. 159. arbitratur, argumentum eodem modo concludere, sive universi existentiam realem adiittas, sive tantum idealent, quam etiam accommodationem ad idealistarum placita approbat & expressit Bulffinger l. c. At 1) existentia idealis est contradictione in adjecto: existentia enim est aliquid ultra possibilitatem per defin. Wolffii §. 14. Metaph. h. e. extra cogitationes, idealis autem existentia mera possibilis, mera cogitatio. Bulffingerus quidem, sine dubio ut obviam iret huic objectioni, Dilucid. §. 270. definit existentiam per illum essentiae statum, quo apta est ad agendum vel patiendum: Verum haec definitio applicari nequit Modis, actionibus, passionibus, qui tamen aequae ac substantiae existunt, atque discrimen essentiae & existentiae operose alias inculcatum rursus tollit. 2) Sicut Idealitae Mundus corporeus est ens rationis, somnium v. Wolffii praef. secunda Metaph. ita Deus etiam ex hujus Mundi contingentia probatus est ens rationis, somnium, nisi conclusionem velis plura continere quam praemissa. Concedo tamen ex solius Mentis consideratione per argumentum contingentiae quodammodo convinci posse Idealistam.
- b) Contingentia supponit Propositionem vel Mentis iudicium, cuius Subjectum est Mens vel Mundus, Prædicatum existens, atque eam indicat inter hos terminos relationem, vi cuius citra absurditatem de Subjecto Prædicatum negari posset: postponendum igitur est aliis argumentis, quæ magis realia mentis vel corporum attributa fundamenti loco ponunt. Præferri etiam merentur argumenta aequae certa, magis tamen facilia, e. g. quod a finibus concludit dari Deum.
- c) non enim est ad captum & palatum, ne quidem omnium eruditorum, e. g. materialistarum, contra §. III. Specim. V.
- d) Concedit Bulffingerus Dilucid. §. 387. identitatem utriusque argumenti, sed ea ratione, ut argumentum ab effectu ad causam resolvi in argumentum a contingentia existimet. Inverto sententiam, atque argumentum a contingentia aequae ac alia divinæ existentiae argumenta in argumentum ab effectu ad causam resolvi, & sub hoc comprehendi probo. Loco Principii rationis sufficientis (quod ceu ambiguum & falso Specim. I. §. 17. rejici, quod-

quodque ob hanc ambiguitatem incommodam reddit illam expressionem, Deum in se ipso habere rationem existentiae suae sufficientem) utor Principio Causæ sufficientis, quod ita se habet : Omnis effectus supponit Causam sufficientem: Ergo quoties res vel modus rei occurrit, quem cœpisse ortum adeoque effectum esse scimus, non subsistendum est in Causis minus sufficientibus, sed ascendere oportet ad Causam sufficiente virtute prædicam, e. g. corpus cuiusvis hominis ortum aliquando esse, certi sumus; parentes, horunque semen & ovulum causas minus sufficientes esse æque certo scimus: Ergo existit alia Causa sufficiens, Prima, Independens, h. e. Deus. Nulla hic mentio occurrit contingentiae. Argumentum autem a contingentia nititur Principio rationis sufficientis, hoc nis ab ambiguitate liberetur, falsum est, quando vero excluso principio cognoscendi de solo essendi Principio intelligitur, verum est, ad nostrum Principium quam proxime accedit, adeoque argumentum a contingentia argumento ab effectu ad causam manifestissime subordinatur. Adhæc sicut Via Causalitatis duobus cum primis fulcris utitur, absurditate Casus, & absurditate Progressus Causalium in infinitum (v. S. R. Io. Dav. Bajeri Diss. Ienensis de A. 1707. qua soliditas viæ Causalitatis pro afferenda Numinis existentia expenditur) ita Wolffium & Bulffingerum iisdem fulcris uti video II. cc. unde convenientia utriusque argumenti denuo elucescit,

§. III.

Controversiæ de definitione Dei ad Logicam maxime pertinent, a) cum vero nimis accurati in gravissimo hoc argu-
mento esse nequeamus, b) observare liceat, in definitione
Dei Wolffiana jure meritoque quedam desiderari. c)

a) Wolffium enim negati vel unius divini attributi jure accusatum & convictum esse, non reperio; sola igitur supereft quæstio Logica vel Methodica de definitionis accurateione ubi ante omnia attendere oportet, Leibnitium & Wolffium ex Mathematica in primis consuetudine definitionum alias adoptasse ideas, quam quæ communi usu receptæ hucusque fuerant, aut igitur secundum principia Logica Wolffiana definitionem dijudicare, aut rejectis his alia substituere & probare oportet, aut omnis controversia erit Logomachia. Wolffio in Log. Cap. I. §. 38. definitio nominalis est recensio aliquarum notarum, quibus res definienda ab aliis discernitur, realis ostendit rationem, qua aliquid possibile fit, h. e. qua oriatur, §. 46. aut, ut verbis Brevis Comin. de Methodo Mathem. §. 18. rem eandem exprimam, Definitio realis est notio distincta, rei genesin, h. e. modum, quo fieri potest, exponens. Non urgebo nunc, genesin inter notas definitionis nominalis referri posse, adeoque nullum esse discrimen inter definitionem nominalem & realem, in genesi causalium efficientium, quæ tamen essentiam non constituunt, mentionem esse faciendam, unius rei, e. g. circuli, plures geneses esse possibles; in Deo ingenito genesin locum non habere; Repetam tan-
tum ex Log. c. I. §. 45. definitionis realis esse essentiam rei, h. e. conce-

peum primum exponere, de qua definitionis realis definitione nulla movebitur Logica Controversia, quare cum definitio Dei (quod sc. sit Substantia omnia universa possilia uno actu distinete aut adæquate sibi repræsentans) Dn. Wolffio sit conceptus primus per §. 54. in rat. præl. Metaph., definitionem hanc non potest non realibus annumerare.

- b) utrique etiam controvertentium parti definitio Dei videtur res alicujus momenti; pertinens nimirum ad soliditatem doctrinarum reliquarum, methodum, facilitatem, aut saltem memoriam.
- c) duo tantum annotabo. 1) hæc definitio conceptum exprimit secundum, loco primi; summa enim divini Intellectus perfectio, qua definitio absolvitur, ex independentia vel Aseitate demum colligitur, fatente id ipso Bulffingerio Dilucid. §. 423. 2) per hanc definitionem Deus non discernitur a Deo Aristotelis & Aristotelicorum, e. g. Cæsalpini, imo etiam Epicureorum, qui præter intellectiones neque vult neque agit; sicut vero nominalis definitionis est discernere rem definiendam, ita multo magis reali id incumbit: horum autem Philosophorum æque fuisse habenda ratio ac Idealistarum. Quæ supra Specim III. §. 9. not. b) ad definitionem Animæ annotavi, huc etiam applicari possunt, sed ea nunc prolixius non repetam.

§. IV.

Quæ S. R. D. Langius definitioni huic copiose objecit, V.
Cl. D. Bulffinger pari soliditate & modestia discussit.
 in Dilucidationibus, libro ob Theologiam Naturalem cum primis maxime æstimando, §. 424.

§. V.

Accurate Deum definiendum putarem per Causam pri-
mam Vniversi.

Causæ nomine non tantum solam Efficientem, sed etiam illam tantum Substan-
tiam agentem, quæ sufficientibus pro effectu viribus prædita est, intelligi-
debere, in Ontologia doceo. Hæc etiam Causa non potest non intelligere
& velle. Prima Causa idem significat, quod Ens independens, a quo reli-
qua omnia dependent. Vniversum corpora omnia omnesque spiritus com-
prehendit. Hunc conceptum omni divinæ existentiæ argumenta suppo-
ditant, per hunc Deus accurate dignoscitur, ex hoc reliqua divina attri-
buta, ceu conceptus secundi facillime deducuntur, primus igitur est de Deo
conceptus, essentia ejusdem & definitio realis, in quantum nempe pro im-
becilitate nostra divinam essentiam cognoscere nobis licet: quisque enim non
insipiens applaudit acuto Epiphonemati, quo eruditus Autor disquisitionem
de essentia Dei cum applausu Academiæ Scientiarum Regiæ Parisiensis ob-
signavit:

Loin de rien dire de cet Etre supreme,
Gardons en adorant un Silence profond,
Car c'est un Etre immense, & l'Esprit s'y confond,
Pour dire ce qu'il est, il faut être Luy même,

§. VI.

§. VI.

Libertas Dei perfectissima, quæ sanctissime vindicari debet,
a) in Systemate Wolffiano integra est, b) nisi quod consequens
illud libertatis, quo sese exerit in æqualiter bonis, tollat. c)

- a) negata enim libertate negatur intellectus Dei, voluntas, causalitas, summa perfectio, sapientia, Potentia, Benignitas, Justitia, adeoque conceptus Dei primus, cum secundo & attributis omnibus, ut negare libertatem Dei sit ipissimus Atheismus, atque Spinozæ e. g. Deus libertate carens nihil, vel Mundum, vel quidvis potius aliud quam Deum denotet.
- b) v. Metaph. §. 980. sqq. & Annot. ad h. I. Objectiones Langianæ Ausf. Entd. p. 297. sqq. cum ex iis, quæ de libertate Menti & æternitate Mundi supra observavimus, tum ex Bulffingeri Dilucid. §. 434 sqq. dijudicari possunt.
- c) Sicut Menti humanæ hanc libertatis applicationem denegavit, ita etiam a Deo eandem removet, existimans, nonnisi ex motivo majoris perfectionis Deo hunc Mundum præ aliis Mundis possibilibus placuisse Metaph. §. 981. sicut vero supra Spec. III. §. 11. sqq. sententiam Wolffianam refutavi, atque fundamenta ejusdem Principia indentitatis indiscernibilem, & rationis sufficientis destruxi, ita & h. I. eo provocare licet. Nihil igitur obstat, quo minus statuam, plures & que perfectos Mundos fuisse possibles, Deum vero pro liberrimo suo bene placito præsentem elegisse, & reliquos noluisse. Hæc Voluntas libera in peculiari sensu Theologis audit, sicut ea, quam Wolffius unice admittit, naturalis.

§. VII.

Hac libera Voluntate gloria summæ Numinis Potentiae amplificatur; a) Wolffius tamen, dum illam negat, ipsi Omnipotentiae nihil detrahit, sed objectum illius Voluntatis liberæ impossibile per errorem judicat. b)

- a) ita enim Deo tribuitur Potentia producendi duo sibi invicem perfecte similia, quam Wolffius negat. v. Specim. III. §. 13. not. c) Hoc occasione duobus saltim verbis observo etiam mihi hanc liberæ voluntatis applicationem raram esse, tantum abest, ut libertatis conceptum in ea collocem conf. Specim. modo cit. §. 11. 12. deinde formulam illam: Sic volo sic jubeo, stat pro ratione voluntas; non accipi a me in sensu Juvenalis, sed in sensu usitatisimo, quo in Proverbium abiit: His observatis me non ferit objec. C. Bulffingeri in Dilucid. p. 483. ejusque nota; eos qui tales Deo absolutilmos affingant, ultra supralapsarianismum progredi; namque salutem & damnationem æternam hominum inter indifferentia Deo, nemo, ad voluntatem autem ipsius naturalem quisque referet orthodoxus.

b) nimis propter principium idemtatis indiscernibilium plura sibi invicem perfecte similia (quae voluntatis divinæ liberæ in sensu strictiori acceptæ objecta sunt) impossibilia existimat; notissimum autem est & verissimum, sine detimento illimitatæ divinæ Potentiae statui, Deum non posse impossibilia e. g. Deum non posse falli, non posse factum infectum reddere: prius exempli sicut impossibilitatem respectu Dei, alterum respectu objecti: in priori exemplo, posse falli, quamvis voces sint positivæ, imperfectionem, negationem & absentiam perfectionis indicat, adeoque non posse falli, quamvis termini sint negativi, maximam perfecti onus inculcat; ad posterius exemplum observo, dari etiam in quæstionibus sapientiam vel insipientiam: quare si quis querat: an Deus possit factum infectum reddere? rogandus is primo est, ut explicet quæstionem suam, cumque haec ceu contradictoria cogitari & explicari nequeat, responsionem non meretur. Ex his denique concludo, divinam Omnipotentiam ad omnia cogitabilia sine exceptione & limite extendi.

§. VIII.

Justitia divina per bonitatem cum sapientia administratam optime definitur, a) cum enim perfectiones & attributa in Deo realiter idem sint cum essentia divina, atque nostro tantum concipiendi modo propter imbecillitatem nostram distinguuntur, eo perfectior est nostra de Deo cognitio, quo minor est divinorum attributorum numerus; modo nulla momenti alicujus doctrina omittatur. b)

a) a Wolffio Metaph. §. 1084. Bulffinger Diluc. §. 445.

b) ast nullam omitti, singulas autem ex allata definitione facililime consequariorum instar deduci, Bulffingerus l. c. & §§. seqq. luculenter ostendit. De poenis et justitia vindictoria dubitat Langius Ausfuhrl. Entd. p. 329. Ast poenas quoad finem externum, h. e. utilitatem aut societatis aut hujus vel illius hominis, vel illius, qui peccavit, ut emendetur, vel ejus, qui Iesus est, ut securitati ejus consulatur; vel aliorum, ne simile quid faciant aut patientur, ad divinam bonitatem & sapientiam pertinere, est manifestissimum. Finem internum expiatorum ex B. Hochstettero pari facilitate ad definitionem suam reduxit Bulffingerus §. 449. inter alia bene querens: Si bonæ, indifferentes, & malæ actiones eosdem nanciscerentur eventus, an sapientia præsideret rebus? an promiscua & non intelligens bonitas? Bene igitur Bulffingerus §. 448 observavit, poenam esse bonum, et si subsidiarium tantum, & in statu morbido. Ex his observationibus immutabilitas Dei egregie stabilitur, atque nova definitionis prærogativa cognoscitur. Quod Langius l. c. observat, tum demum adimpleri ideam justitiae, si bonitatis & sapientiae ideis sanctitas adjiciatur, ambabus amplector manibus: dum vero sanctitatis conceptus alhuc est ambiguus, sanctitatis nomine, nec sine ratione, intelligo harmoniam divinorum perfectionum & actionum: quis vero non observat, harmoniam sapientiae & bonitatis divinæ in definitione justitiae optime esse expressam?

§. IX.

§. IX.

Non nisi unum esse Deum, ex insigni harmonia inter Spiritus & corpora, ipsaque corpora diversa admodum probabiliter colligimus, a) cui probabilitati non exiguum inde accedit pondus, quod Polytheismus in genere nulla natur ratione, Gentilium autem Polytheismus innumeris iisque manifestissimis prematur absurditatibus.

a) Ex parte consentit Wolffius Metaph. §. 1081. ab initio, ubi unitatem Dei ex nexu omnium in Universo rerum unice cognosci asserit; dissentit, quando verbis proxime sequentibus necessitatem & certitudinem huic argumento assignat. Nondum hucusque convictus sum argumentis philosophicis, absurdum & contradictorium esse, duos pluresve statuere Deos. Nullam esse rationem, cur plures uno statuantur Deo, supra fassus sum: inde vero sequeretur unice, judicium esse suspendendum de unitate Dei, nisi harmonia in Mundo probabiliter eandem adstrueret. Principia rationis sufficientis & identitatis indiscernibilium, ad quae Wolffius Metaph. §. 1080. & Bulffinger Diluc. §. 410. provocant, supra ex professo confutavi. Quod porro Wolffius §. 1081. perhibet, negata Machinali Mundi indole unitatem Dei necessario negari, speciem heic loci omnem amittit: Mundum esse machinam, Specim. II. §. 6. not. a) negavi; hoc non obstante nexus Mundi minime Machinalis argumentum probabile Unitatis divinæ mihi supeditavit. Censura D. Langii etiam hoc in puncto nimis est acerba: etenim l. c. p. 326. sq. sententiam Wolffianam, quæ Mundum instar Machinæ considerat, Spinozismi & Atheismi accusat, a quibus imputationibus Systema Wolffianum liberavi Specim. II. §. 7. deinde ægre fert, Wolffio argumentum suum videri unicum, ideoque rejici argumenta reliqua, quæ Ipse in Causa Dei adversus Atheismum p. 196. exhibuit. Liceat paucula de argumentis his monere. In universum, cum Vir Celeberrimas pag. 327. Ausf. Entd. existimet, unitatem Dei simul cum existentia Ipsius demonstrari, impossibile videtur sex peculia ria eaque firma Unitatis divinæ habere argumenta. Singula autem ponderanti neutrum satisfacit: in primo ex idea perfectionis neque probatur neque probari potest, dari non posse plures Deos, quorum unusquisque haberet extra se aliquid a se non dependens. In secundo duo cumulantur argumenta, quorum alterum lubrico rationis sufficientis principio nititur, alterum multitudinem Deorum non productum, cum multiplicatione productionem involvente confundit. Tertium non ferit Polyteum, qui plures Deos pro summis perfectionibus amicissime inter se conspirantes concipit. In quarto arguento 1) negatur existere indicium pluralitatis Deorum, & e contrario unitas universi monumentum unitatis divinæ habetur, quod unicum mihi videtur argumentum; 2) quæ subjunguntur de unitati Solis pro tellure, & Mentis pro corpore, ne quidem probabiliter adstrinxunt unitatem Dei, ut potius Polytheus inverttere argumentum, atque ex multitudine Solium & Mentium, κατ' αὐθεων disputando, Polytheismo speciem dare possit. Quintum argumentum auguratur, ipsos Athenses admissa veri Dei existentia non nisi Deum unum ad-

missuros

missuros esse; id ipsum vero neque probatum est, neque probabitur: quod additur, ratione sic exigente, sine dubio provocat ad reliqua argumenta; tunc vero quintum hoc non differt a reliquis. Sexto argumento a gentiliūm Polytheorum consensu, Deum supremum tantum esse unum, cui reliqui Dii subordinati sint, eandem tribuerem vim probandi unitatem Dei, quam consensui gentium quoad existentiam vidicavi Specim. V. §. 11. agnoscerem etiam, Unitatem Dei itasimul cum existentiae ejusdem demonstrari posse, nisi minorem hujus argumenti Ipse Vir Celeberrimus subiuncto statim Corollario infregisset; dum enim duo principia æterna & independentia, boni & mali, summae absurditatis accusat, in memoriam revocat Manichæismum, cuius universalem ferme apud omnes gentes receptionem erudite ostendit S. R. Wolffius in Manichæismo ante Manichæos. Non ignoro, alios Unitatem Dei ex infinitate essentiæ divinæ colligere, quæ plures Deos excludat; Ast novi etiam infinitatem hanc essentiæ divinæ vel esse vacuum sensu sonum, vel extensionem infinitam denotare, adeoque materiam involvere a Deo quam longissime removendam. Stat igitur sententia, in Philosophia nonnisi probabiliter, in Theologia autem revelata deum certo cognosci Dei unitatem.

§. X.

Controversiæ de Atheismo, an tollat omnē jus naturæ, & corruptionem morum necessario inducat, itemque an pejor sit superstitione, exigui sunt momenti, & maximam partem in Logomachias abeunt.

Quoad priorem quæstionem res omnis redit ad discrimen officiorum vel quorundā vel omnium, externorum vel internorum, sub motivo propriæ utilitatis vel sub motivo divinæ poenæ vel præmii consideratorum, itemque ad discrimen juris naturæ late vel stricte sic dicti: priora distinctionum membra Wolffius Atheis tribuit in Moral. §. 21. Annot. ad Metaph. §. 426. posteriora tantum Langius negat Ausf. Entd. p. 211. sqq. conf. Bulffinger Dilucid. §. 505. Vnicum annotabo ad sequentia Wolffii verba ex Annot. ad Metaph. §. 426. excerpta: *In Philosophia mea Morali disquiro, an Antheus vi Atheismi sui immunem se reputare queat ab obligatione naturali, atq; omnibus officiis, itemq; an ex Atheismo scelerata vita necessario consequatur? utrig; questioni negative respondeo, atq; respondere teneor, eo quod cum Theologis nostris intrinsecam moralitatem actionum afferro, adeoq; naturalem obligationem statuo, antequam ponatur, Deum nos eo obligare, unde non possum non etiam in impossibili Atheorum hypothesi, non esse Deum, moralitatem & naturalem obligationem statuere.* Confundit hic Celeberrimus Author sententiam peculiarem Grotii cum recepta non tantum nostrorum veterum Theologorum, sed ipsorum etiam Scholasticorum sententia. Isti enim, quamvis actiones per se honestas aut turpes antecedenter ad voluntatem & decreta Dei statuerint, ad Dei tamen sanctitatem & justitiam easdem retulerunt, adeoque a sententia Grotiana sunt alienissimi. v. B. Jægerus in Observ. in Grotium p. 38. sqq. Quod ad posteriorem attinet quæstionem, modo diversæ quoad mores aliasque circumstantias constituantur classes Atheorum æque ac Superstitiosorum, dividit sententiarum sine difficultate in concordiam redigentur. Ceterum extra Controversiam est, Atheismum gravissimum esse malum non in intellectu tantum, sed Voluntatis etiam maxima corruptione consistens.

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM
 DE
 METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA
 SPECIMEN VII. IDQVE VLTIMVM
 DE ORIGINE MALI.

§. I.

A Rdua hæc quæstio sicut omni ferme Controversiæ de Metaphysica Leibnitio - Wolffiana primam dedit occasionem, a) ita ultimo demum loco de decisione ejusdem dispicere licet. b)

a) Bælli nimirum Paradoxon: *Originem mali Philosophice non nisi adoptato Manichæismo explicari posse*, atque edita hac de re plurima Scripta Eristica (quæ accurate recensent Summe Vener. Tubingensem Cancellarius D. Pfaffius in Diss. Anti-Bæliana de Origine Malis p. 6. sqq. S. R. D. Wolffius in Manichæismoante Manichæos Sect. III. §. 8. sqq. p. 329. sqq. & S. R. D. Christ. Langhansen in Diss. Regiomontana a. 1724. de Necessitate omnium quæ existunt absoluta in Theodicæa G. G. Leibnitii, cui Wolffianum Metaphysicæ Systema superstructum est, asserta §. I. II.) excitarunt III. Leibnitium ad conscribendum celeberrimum librum cui tit: *Essais de Theodicæe sur la Bonté de Dieu, la liberté de l' Homme & Origine du Mal*, ubi originem Mali cum summis unius Dei perfectionibus philosophice conciliare conatus est. Ex hujus autem Tentaminis potioribus doctrinis maximam partem exstructum est Systema Metaphysicum Wolffianum.

b) Concurrunt enim in solutione quæstionis Principia Ontologica, Cosmologica, Psychologica, Theologica; hæc igitur ut primum expedita sint, methodus requirit naturalis.

§. II.

Malum naturale est, quicquid rerum conservationi, perfectioni, delectationi obest, sive in ipsis sit rebus, sive extra easdem: *Malum Morale* est *avocia* s. disharmonia actionum humanarum atque divinæ legis.

Reapce cum hac descriptione consentiunt, quamvis verbis differant, descriptiones Gulielmi King de Origine Malis Cap. 2. Leibnitii in Theodicæa §. 21. & Bulffingeri de Origine & permissione Malis §. 243.

G

§. III.

Malum defectus vel imperfectionis Kingii numerum malorum præter necessitatem multiplicat.

Per malum imperfectionis intelligit absentiam perfectionum aut commodorum, quæ alibi aut aliis rebus adsunt. I. c. Cap. 2. §. 2. conf. Cap. 3. Comparativa hæc est imperfectio, quæ absolutam non tollit e. g. Mens humana, quod non est omniscia, imperfectior est ente omniscio, insedum imperfectius reliquis animalibus, lapis imperfectior animalibus. Sed perfectio ex naturali capacitate & fine cuiusque rei æstimari debet: nihil igitur obstat, quo minus e. g. insidium sit perfectum: nulla igitur adest imperfectio proprie dicta, nullum malum, nullus scrupulus, siquidem etiam in imperfectioribus Deus summas suas perfectiones declaravit: Et levis est cœps, qui probet esse Deum. Ex eadem causa mortalitas & mors corporis, modo non sit nimis præceps, inter mala philosophice referri nequenit: quamvis enim immortalis Spiritus corpore mortali sit perfectior, mortalitatis tamen & mors cum natura corporis & vi propagandi admodum congruunt. Quæ Scriptura S. de morte peccati pœna tradit, de ammissione divini beneficij *asparatas* commode intelliguntur. Alio sensu Leibnitius Malum Metaphysicum in rerum etiam non intelligentium imperfectione collocavit, quod ad malum physicum reduci posse Bulffinger I. c. concessit. Quod vulgo dicitur Metaphysicum abfolutum Bonum, vanus terminus est, ab essentia & perfectione essentiali minime quoad sensum distinguendus. Omne ens hoc sensu dicitur Bonum, E, non datur oppositum ipsi Malum.

§. IV.

Malum omne relatio est & maximam partem a) absentia convenientiæ quæ adesse debebat; Ergo correlata distincte considerare & comparare oportet, b) atque abstractio ab iisdem locum habet nullum. c)

- a) Non omne malum in sola absentia boni consistere vel solum vulneris exemplum declarat: gladius, ejusdem ictus, laceratio partium corporearum, dolor subsequens sunt realia positiva, nec aliud quidquam excogitari potest, quod ad mali hujus naturalis constitutionem pertineat, converantur quæ subtiliter hac de re disputat Bulffinger I. c. §. 243. sqq.
- b) Ita morbus est malum naturale, dum e. g. materia peccans in sanguine motum hujus fit, sanguinis aliarumque partium functiones ordinarias impedit (in quo accidentalis imperfectio consistit) dolores causatur, ipsamque morteni accelerat. Ita error est malum naturale, dum Mens (cujus perfectio est verum cognoscere, bonum velle, ita quidem, ut majus præferatur minori) a scopo & perfectione aberrat, atque periculo aliorum etiam gravissimorum errorum, variazque miseriæ temporalis ac æternæ se ipsiusque corpus

corpus exponit. Ita Peccatum Commissionis est malum morale & naturale dum Homo vult & agit, quod velle & agere per leges divinas harumque, pœnas & præmia prohibebatur; Peccatum omissionis, dum homo non vult, non agit, quod tamen velle & agere per leges divinas tenebatur. Sicut commissio sine committente cogitari nequit, ita multo minus possibile est omissionem sine omittente concipere.

c) ut alias nunc præterea observationes Metaphysicas & Logicas de abstractione & relatione, contradictorius est conatus, relationes h. e. comparationes sine correlatis & comparatis considerare velle. Ita nobis omne peccatum est ens reale positivum sed relative spectatum ad legem divinam, cum qua non convenit. Ita opus non est, ut entia moralia a physicis toto cœlo diversa figamus, qua fictione Certitudo scientiarum Moralium labefacatur. Ita nos non ferit Objectio satis valida Eruditissimi Autoris Aetorum Erud. Germ. qui Parte 99. ubi Dn. Bulffingeri Tr. de origine Mali recenset. p. 204. existimat sententiam de privativa peccati indole repugnare Apologiae Augustanae Confessionis. Ita nos etiam cum Bulffingerero missam facimus distinctionem inter Causam Efficientem & deficientem.

§. V.

Porro malum aliud est actu tale, aliud potentia tantum: a) aliud est necessarium & inevitabile, aliud contingens per Causam liberam dirigentem, applicantem, occurrentem, adeoque evitabile. b)

a) e. g. venenum imprudenter haustum atque in corpore jam operans est malum naturale actuale; alias, quamvis possit nocere, non tantum non nocet, sed etiam bonum esse, atque animali venenato instar salivæ, aliisque instar antidoti inservire potest. Sola igitur mala naturalia actu talia malis annumerare oportet. In Moralibus aliter statuendum est, si propensiones & habitus mali sub malo potentiali comprehendantur, hos enim malos esse nimis est manifestum.

b) In hoc discrimine maximum est momentum, ubi de origine Mali disquiritur: Si enim esset malum sive naturale sive morale necessarium & inevitabile, Causa unica mali & effectuum ejusdem esset Deus supremus rerum omnium Conditor, per Axioma quoad ejusmodi necessaria certissimum: Causa Causæ est Causa Causati. In has Syrtes incident Leibnitius, Wolffius Bulffingerus per Systema Harmoniae Præstabilitæ, quo actio Animæ in Corpus negatur, adeoque actionibus in corpore naturaliter & moraliter malis necessitas adscribitur Mechanica, eaque major, quam quæ Physica alias audit, unde figunt, perfectissimam Mundi ideam mala continere, nec satis declinare possunt Buddei Objectionem n. VI. Responsum de Philos. Wolff. Deum ita statui Causam Mali. Einollitur quoddammodo sententia, quando consideramus, Viros Celeberrimos malum ad essentiam Mundi perfectissimi referre, essentias ab Intellectu divino derivare, existentiam autem Mundi, atque solam permissionem Mali a Voluntate divina deducere; ast quam male

essentia & existentia dilacerentur Spec. I. Ontol. ostendit. Quare refutatis jam supra his aliisque principis obstantibus secure affero neque malum morale neque naturale esse necessarium. Quoad moralia dubium oriri possit ex naturali inclinatione ad mala, & habitu ac consuetudine peccandi, quibus omnis ferme libertas tolli videtur: ast quantumcunque haec sit corruptio & libertatis imminutio, omnem tamen libertatem & activitatem inde non tolli vel ex co-manifestum est, quia tunc cessaret omnis imputatio, atque talc peccatum non esset actio moralis. Plura addere hoc loco non licet.

§. VI.

Præter hucusque indicatas relationes & comparationes in uno aliquo malo occurrentes, nova commemoranda est comparatio plurium malorum, qua minus malum ob declinacionem majoris bonis, sicut ex opposito minus bonum ob jacturam majoris malis annumeratur.

Minus accurate id fieri ex definitione mali patet; ecquis amputationem brachii dolorificam & mutilantem bonis annumerabit, quamvis ob evitacionem majoris mali, præmaturæ mortis sit necessaria? Nee video, quid inde pro Scopo nostro lucremur; quantum enim ex una parte bonis, tantum ex altera malis accedit. Quæstio hec loco moveri potest, ad quam actionum classem pertineant actiones in quibusdam circumstantiis bonæ, in quibusdam malæ, an malæ sint habendæ, an sint bonæ? putaverint circumstantias principales ab accessoriis esse discernendas: *avocia* quoad ipsam actionem, motiva & fines ejusdem facit actionem moraliter malam, ita ut e. g. Eleæ mosynas dare ex motivo ambitionis malam sit: ast defectus in accessoriis e. g. tempore, quantitate totam actionem non corrumpt. Ceterum officia imperfecta, si vel maxime sint mala moralia, inter bona tam naturalia locum habere possunt.

§. VII.

In Mundo hoc, præsertim inter homines, a) plurima occurrere mala moralia & physica, tristis docet experientia; nec dubium est, quin moralia mala longe plura sint, quam bona moralia; b) naturalia autem mala pauciora bonis naturalibus. c)

a) De his cum primis Bælius disputat autor Controversæ, quod patet ex not. D. sub tit. de Manichæis Tom. III. Diet. p. 1899. editionis recentissimæ: Les cieux & tout le reste de l'Univers prêchent la gloire, la puissance, l'unité de Dieu: l'homme seul, ce chef d'œuvre de son Createur entre les choses visibles; l'homme seul, dis-je, fournit de très grandes objections contre l'unité de Dieu, Voici comment: L'homme est méchant & mal-

- ¶ malheureux & chacun le connoit par ce qui se passe au dedans de lui, & par le commerce, qu'il est obligé d'avoir avec son prochain.
- b) pauci enim sunt pii, & ne isti quidem ab omnibus malis moralibus immunes & magnus autem malorum hominum numerus ab omnibus ferme bonis moralibus est remotissimus.
- c) Postquam integras classes, quae malis alias accensentur, nimirum mala imperfectionis §. 3, potentia & comparative talia §. 5. & 6, e numero malorum naturalium eliminanda esse ostendit, eo minus dubia videbitur hæc assertio, quam experientia etiam comprobare posset.

§. VIII.

Tanta igitur cum sit generis humani corruptio, cumque dubio careat, Deum supremum esse humani generis conditorem, contradictionem autem involvat, primos homines cum tanta corruptione a Deo fuisse conditos, agnoscere oportet primos homines ab hac corruptione, minimum ab initio, fuisse immunes.

Abstinui a terminis perfectionis & imperfectionis, ut prolixia evolutione terminorum ambiguorum supersedere possem. Cum enim perfectum accidentaliter optime definiatur, quod adaptatum est finibus a Deo præfixis, imperfectum, quod ineptum, unde Mundi & præsentis hominum pro præsenti statu maxima imperfeccio elucescit; Leibnitius, Wolffius, Bulffingerus in gratiam suarum hypotheseon perfectionem definient per contentum in varietate, ab homine ascendunt in universum Mundum, & Malum perfectionis mundi non obesse, quin potius in Mundo optimo inevitabile esse asserunt v. Bulffinger de Origine & permissione Mali, ubi definitionem perfectionis exponit, §. 78. Iqq. Missis his sub aliis terminis proposita Thesis habet immota. Quaecunque autem sit Virorum Celeberrimorum de Mundo perfecto idea, nonnisi a potiori, & ne id quidem certo, Mundum nominare possunt perfectum, h. e. denominatione minus philosophica.

§. IX.

Per saltem a) a præsenti statu Mundi corrupto Leibnitius & Wolffius illico ascendunt ad Deum, disquirentes, quomodo Ens perfectissimum tanta corruptione laborantem Mundum eligere & producere potuerit. b)

- a) Aquo alias abhorret Wolffius Metaph. §. 688. & 350.
- b) fuisset enim primum disquirendum de primitivo statu Mundi & generis humani, id quod etiam requirit status Controversie a Bælio formatus, atque ad hominum mala moralia & naturalia restrictus, uti §. VII. not. a) observavi. Oritur autem hic saltus ex definitione Mundi Leibnitiana & Wolffiana, qua est series possibilium similitudinum & successivorum inter se conexorum, cuius vitia Specim. II. Cæmolog. §. II, detexi: cump hac definitione

ditione sententia Mundum instar Machinae considerans, atque Systema Harmoniae Praestabilitate arcte cohaerent.

§. X.

Causa efficiens mali moralis primi æque ac aliis ejusdemque, cum quoad internas volitiones, tum quoad externas executiones, corpore factas, solus est Homo libertate sive activitate sua abutens.

Supponuntur hæc ex antecedentibus Speciminibus Psychologico III. & IV. Anthropologico: non ignoro, quoad actiones comprimis externas a concursu Dei dubium aliquod formari posse: aut sufficiat h. l. obseruisse, concursu divino non tolli imputationem harum actionum.

§. XI.

Mala hominis naturalia, sicut ex moralibus unice oriuntur, a) pariter ad hominem ceu autorem referre oportet.

a) Consentit illi Leibnitius P. III. des Essais §. 241: Nous voilà débarassés enfin de la cause morale du mal moral: le mal physique, c'est à dire des douleurs, les souffrances, les misères, nous embarrasseront moins, étant des suites du mal moral.

§. XII.

Præcipua in omni hoc argumento difficultas est in Objectione qua Deus Ens perfectissimum Causa Moralis statuitur tot tantorumque malorum, eo quod non impediverit eadem, &c, cum prævidisset, nihilominus Mundum atque homines creaverit.

Huc redit nervus Objectionum Bælianarum v. Pfaffi Diff. Anti-Bæiana de Origine Mali, Wolff de Manich. ante Manich. Sect. III. Leibnitius in Appendice Tentaminis, ubi Objectiones in formis Syllogisticis exhibet,

§. XIII.

Leibnitiana hypothesis: Deum non posse non velle optimum, cum vero præsentem mundum malis mixtum præ aliis Mundis possibilibus elegerit, inde concludendum esse, optimum in suo genere Mundum sine malis esse non posse; præterquam, quod falsis innititur principiis, a) non satisfacit b) Bælianis objectionibus.

a) Nimirum, non dari duo vel plura æqualiter bona, adeoque Deum libertate sua propter sapientiam necessitate morali non potuisse nisi unum eligere Mundum,

dum, quæ principia cum aliis remotioribus e. g. mundum esse machinam, me-
tem humanam *autorum* spirituale, jam supra confutavi.

b) Etenim hic a priori redditur ratio permissionis mali, teste Bulffingero de Origine Mali e. g. §. 477. ast a priori absurditatis facile convinci Systema Manichæorum concedit imo demonstrat Bælius in dict. p. 1899. Deinde Bælius vel urgeret, in hypothesi hac Deum non tantum esse Causam, sed unicam etiam Causam, taltem malarum actionum moralium externarum, atque naturalium, quæ inde oriuntur, malorum, id quod difficultates quam maxime augeret, tantum abest, ut tollat; vel regereret, dum malum ne-cessarium, inevitabile, indeclinabile statuitur in idea optimi Mundi, ita ut Deus non potuerit non eligere Mundum, in quo sint mala mixta bonis, hunc ipsum Mundum idealem aut possibilem vel esse alterum principium Mali Manichæorum, vel quam proxime ad illud accedere.

§. XIV.

Nec sufficit, allegare gratiam redēptionis, qua non tan-tum moralia, sed naturalia etiam mala tolluntur: namque huic etiam responsioni obviam ivit Bælius.

Allegato exemplo duorum principiū, quorum alter subditos suos in sum-mam incidere patitur miseriā, ut deinde satis afflitos redimere possit, al-ter subditos in perpetua conservat prosperitatē: posteriorem nimirum me-liorem multo, magisque misericordem altero judicandū esse, persuasi-simus est in Dict. sub tit. Pauliciens p. 2205. Certissimum tamen est, considerationem divinæ redēptionis a peccatis, & Providentiæ divinæ circa Peccata tam demum insignes præstare usus morales, quando primum obje-ctiones ante indicatæ aliis responsionibus sunt solutæ.

§. XV.

Respondendum igitur est, Causam Moralem, quæ non impediens appellatur, ad solos quadrare homines, aliosque Spiritus creatos, Deo autem applicari sine contradictione non posse.

Id ipsum declarant consuetæ limitationes, qua is dēmā Causa existimatur moralis, qui non impedit, cum impedire posset & deberet, cum vero de-bitum hoc leges respiciat vel divinas vel humanas, Deo, qui nullis sub-jectus est legibus, applicari hæc nequeunt. Ex sola hac observatione re-sutantur, quæ Bælius magna cum specie profert de matre, quæ permit-te-ret filiabus interesse choreis, nec revocaret permissionem, licet certo præ-sciret filiarum lapsum; non putat sufficere matris exhortationes quo mi-nus jure accusari possit, neque amasse filias, neque castitatem. D. A. p. 2206. Optime regessit Pfaffius Diff. Anti-Bæhana de Orig.-Mali p. 11. Jam “vero simile hoc, quo Deus cum ejusmodi matre quadam modo plane

“ illa

"incongruo & impio confertur, valde est dissimile, Mater quippe legi-
bus divinis & humanis obstringitur, atque, omne malum ut impediat
jubetur, secus Deus, qui non nisi ipse sibi lex est.

§. XVI.


Non nego scrupulum adhuc superesse a sanctitate divina,
cui permissio malorum refragari videtur; ast quo penitus
sanctitas Dei considerabitur, eo magis scrupulus hic evanescet.

Sanctitas in harmonia divinarum perfectionum & actionum consistit, uti Spec.
cim. VI. §. 8. not. b) sub finem observavi. Decrevit Deus hominem crea-
re liberum, activitate praeditum, id quod etiam ad manifestandas divinas
perfectiones admodum videtur pertinuisse; siquidem sine libertate hac nul-
la fuisset virtus, nullum bonum morale; at tollere rursus libertatem ab-
soluta potentia, ne abusu ejusdem mala moralia orientur, correctionem
& contrarietatem in Deo involveret, id quod absurdum est.

§. XVII

Sub finem denique invertam Paradoxon Bælianum, atque
sutilitatem sententiae veræ indicabo.

"Existimat Bælius Di&t. p. 1900. ex sola S. Scriptura certo innoscere fal-
"sitatem Manichæismi & objectionum Zoroastris, siquidem in eadem di-
"scimus unitatem Dei & perfectiones ipsius infinitas, lapsum primi hominis
& quæ cunctem sequerantur; quacunque igitur specie objiciatur, impos-
"sibile esse, ut malum morale introducatur in Mundum per opus Princi-
"pii infinite boni & Sancti; respondendum esse arbitratur, interim factum
"id esse, adeoque per consequens fieri potuisse, siquidem ab aeternis ad poten-
"tiam valet consequentia. Nihil hic video, quod sola ratione discere non
liceat: absurdum esse, cum Manichæis entis perfectissimi, Optimi, poten-
tiam infringere & limitare Principio Mali, ipse Bælius ceu Philosophicam
veritatem agnovit atque inculcavit: primos homines non potuisse non ab
initio fuisse integros atque a malo morali immunes, postea vel ipsos vel
posteros abusu libertatis malum morale atque cum eodem naturale introdu-
xisse supra §. 8. & 10. demonstravi. Manifestum igitur est, ex sola etiam
ratione certo innoscere, falsitatem Manichæismi, atque objectionum Zo-
roastris. Neque exigui est momenti hæc observatio: Harmoniam enim
Fidei & Rationis confirmat, quam Bælius quavis occasione destruere co-
natus est, Illustris autem Leibnitius in discurso præliminari, quem saepius
citato Tentamini præfixit, egregie indicavit.



Coll. diss. A. 33 misc. 47

DISSE^TRAT^IO LOGICA
DE
METHODO MATHE-
MATICA
QVAM
PRAESIDE
IACOBO VVILHELMO FEVERLINO
PHILOS. PRIM. ET RATION. PROF.
IN ORDINE CIRCVLARI
d. II. MARTII A. d^o 1^o ccxxvi
DEFENDET
IOHANNES ANDREAS GEBHARDVS
NORIMBERGENSIS
PHIL. ET THEOL. STVD.

ALTORFII
TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

17. a. xxviii. 48.

Coll. diss. A
33, 48

DISEASES OF THE ADOLESCENT

СИЛАМОДОНИЯ АQUITAIN

JAVO

PRESIDE

PHILOS. PRIM. ET RATION. PRO.
ALGODON. VANI. HEN. MOE. E. V. G. R. I.

IN ORIGINAL

ANNUAL REPORT OF THE STATE BOARD OF EDUCATION FOR THE YEAR 1914.

THE DILEMMA

JOHANNES ANDREAS GEBHARDUS

NORIMBERGENSES

СУТЫЛОВИТЬ

ИМЯТОВА

T/181 10D GALT KORTENSI AGO. TAXOGR.

.31

B. C. D.

DISSERTATIO LOGICA
DE METHODO MATHEMATICA.

PRAEFATIO.

Methodus Mathematica, si ulla res alia, tantum laudatur ab his, quantum culpatur ab illis. Sunt, qui ad cælum usque laudibus extollunt, atque non tantum optimam & certissimam, sed unicam etiam esse omnis Veritatis inveniendæ viam perhibent; nec defunt ex altera parte, qui methodum Mathematicam a Philosophica non tantum toto coelo diversam esse, sed, quod maxime mireris, si Philosophicis disciplinis applicetur, ad ipsum Spinozismum & Atheismum deducere arbitrantur. Hæc tanta sententiarum discrepantia fecit, ut altius sèpiusque de iisdem meditarer, utriusque rationes accurate expenderem, & quid de Methodo Mathematica ejusdemque discrimine a Philosophica, atque in reliquis scientiis usu vel abuso sentiendum sit, disquirerem. Nec aliena fuit meditatio ab officii mei ratione; ex quo enim Logicam docere jussus sum, meorum esse partium duxi, conquirere ex variis eruditionis partibus, quae ad regularum Logicarum amplificationem, certitudinem, soliditatem, confirmationem, illustrationem pertinere poterant: cumque persuasissimus essem, post Physicam Mathesi plurimum debere Logicam, eo lubentius controversias has de Methodo Mathematica examinavi, quo jucundius fuit, studia Mathematica, meas quondam delicias, hac occasione ex parte repetere. Presente igitur Dissertatio Tibi, Benevole Lector, meditationes exhibet nec a studiorum & officii mei ratione alienas, nec precipitas, nec turbulentio affectu turbatas, sed solo Veritatis & pacis inter eruditos amore excitatas, quas ut æqui bonique consilias, etiam atque etiam rōgo.

A 2

S. 1

§. I.

*Certitudo
Matheos.* Ut de Methodo Mathematica , & in primis ejusdem certitudi-
ne ac universalitate accurate judicare possumus , necessarium vide-
tur de ipsius Matheos certitudine quædam præmittere , & Præju-
dicia nonnulla removere . Certitudine insigni plerasque gaudere
doctrinas Mathematicas , accuratiori examine doctrinarum Arith-
meticarum & Geometricarum edocemur . Solas nunc nomino pri-
mas Matheos partes , non tantum , quod vel sola Geometria ,
ratione certitudinis , instar omnium haberi , atque methodus Ma-
thematica alias etiam Geometrica dici solet ; verum ex hoc etiam
capite , quod reliquæ Matheos partes , quas mixtas vocant ,
omnem suam certitudinem ab Arithmeticâ & Geometria mutuan-
tur , in iis autem , quæ physicæ vel rationali vel experimentali de-
bent , vel probabiles tantum sunt , vel veritatibus experimentalibus
nituntur , quibus veritatis Speciebus prætermisso de sola ratioci-
niorum certitudine h. e. demonstratione hoc loco disquirere o-
portet .

§. II.

*Male pro-
batur ex
consensu
defectu con-
troverfa-
rum.* Abstinendum puto a consensu & Mathematicorum & aliorum
eruditorum in adstruenda Matheos Certitudine , atque a defectu
Controversiarum in doctrinis Mathematicis , quibus indiciis alias
certitudo nobilissimarum scientiarum commendari solet . Quis
enim non illico animadvertisit , omnem hujus argumenti vim nisi
præjudicio autoritatis , & illam sapere in eruditorum consuetudinem ,
qua sententiæ alicujus certitudinem vel incertitudinem ex eruditorum
consensu vel dissensu aestimare solent ? Adhæc alia esse potest ratio ,
cur paucæ sint in Mathesi controversiae : si quis enim suspicetur ,
plerisque sagaciores a studio Mathematico ob difficultatem alias
que causas abstinere , ideoque non posse formare objectiones ; alios
superatis difficultatibus defatigatos esse , & de intellectis tandem
doctrinis Mathematicorum ita gaudere , ut easdem accuratius ex-
aminare , & dubia adhibere nolint , nihil sane statuerit , quod ab-
surdum

furdum sit, omnemque vim argumenti tollet. B A E L I V S in
Diction. Art. de Zenone Epicureo not. D. ubi de opere ejusdem con-
tra Mathematicos agit, sequentibus verbis mecum sentit : Il est vrai
que peu de gens sont capables de les bien combattre : car pour bien réussir
dans ce combat il faudroit être non seulement un bon Philosophe, mais un
très profond Mathématicien. Ceux qui ont cette dernière qualité sont si
enchantez de la certitude & de l'évidence de leurs recherches, qu'ils ne
songent point à examiner, s'il y a là quelque illusion, ou si le premier
fondement a été bien établi. Ils s'avisent rarement de soupçonner, qu'il
y manque quelque chose. Deinde tantum abest, ut fententiarum divor-
tia & controversiæ certitudinem scientiæ alicujus labefactent, ut po-
tius eidem stabiliendæ, Veritatis studioso a partium studiis alieno, in-
serviant : Vel enim Controversiæ illæ sunt Logomachiæ & mo-
dum proponendi concernunt (quales haud paucæ sunt omnium
disciplinarum Controversiæ) vel realia sunt dissidia; illis confirma-
bitur, utrisque cautus reddetur Eclecticus, ut evitatis extremis &
defectibus, quos sibi mutuo detegere solent dissentientes, mediae in-
sistat veritatis viæ omnemque ~~arguenda~~ vel in ipso proponendi modo
adhibeat. Exempli loco provocabo ad H O B B E S II bina scripta
Eristica Mathematica, quorum alterum inscribitur. Examinatio &
Emendatio Mathematicæ hodiernæ, qualis explicatur in libris Jo. Wallisi;
alterum Eucli & Clavio oppositum : de Principiis & Ratiocinatione
Geometrarum, ubi ostenditur incertitudinem falsitatemque non minorem
in esse scriptis eorum, quam Scriptis Physicorum & Ethicorum, contra fa-
ustum Professorum Geometriæ. Quibus plures Tractatus opposuit W A L-
LISIUS in Operibus ipsius Mathematicis reperiundos. Occurrunt in
his Controversiis Logomachiæ & hallucinationes utriusque partis;
nihil vero inde decedit, imo plurimum accedit certitudini Geome-
tricæ, modo debita cum accurate lites istæ considerentur.

S. III.

Deest con-
sensus, ad-
funt contro-
versia.

Exinde simul patet falsissimum esse, quod in vulgari illo argu-
mento assumitur, carere Mathesin controversiis, ipsiusque in uni-
versum certitudinem apud Mathematicos aliosque eruditos esse extra
controversiam. Quod ad posterius attinet, prolixum exhibere
possem Catalogum eruditorum, qui Mathesin esse scientiam in uni-
versum negant. Non dicam de SEXTO EMPIRICO ejusque non
contemnendis Objectionibus *adversus Geometras*, has enim
WILH. LANGIVS Tractatu rariusculo *de Veritatibus Geometricis*
solide refutasse dicitur, quamvis MARCVS MEIBOMIVS in
Responsione ad Epistolam Langii (quam ceu Appendicem *Dialogi*
Meibomiani de Proportionibus possideo) Tractatum hunc acerrime
perstrinxerit. Paucissimos nominabo, eosque neque osores ne-
que ignoratos Mathematicum, ne tritum illud: *Ars non habet oso-*
rem, nisi ignorantem, occini possit. PLATO & PROCLVS,
Viri in Historia Mathematicorum admodum celebres, existimant,
Mathematicos somniare circa quantitatem, & in tractandis suis de-
demonstrationibus non scientifice, sed ex quibusdam suppositionibus proce-
dere, quamobrem non volunt doctrinam eorum appellare intelligentiam
aut scientiam, sed tantum cogitationem, quam sententiam non
tantum refert, sed pluribus etiam argumentis corroborare ni-
tetur PERERIVS de communibus omnium rerum naturalium pri-
cipiis & affectionibus Lib. I. cap. 12. & Lib. 3. c. 4. Non diffi-
teor, plerasque Pererii rationes fundari in male fundata Aristoteli-
corum doctrina de demonstratione, qua ex solis causis deducenda existimatur, in spuriis demonstrationum requisitis, & in
incongrua illa distinctione inter notiora nobis & notiora natura;
ut silentio nunc præteream ea, quæ B. noster ABDIAS TREW
*Pererio opposuit *Diff. de Scientiis Mathematicis* S. 12. sgg. Quæ-*
dam tamen haber e. g. de Propositione illa: Tres angulos cujus-
que trianguli æquales esse duobus rectis, quæ cum pro agno-
scendo discrimiae inter ipsas demonstrationes Geometricas, tum
pro applicatione Methodi Geometricæ ad alias scientias caute insti-
tuenda

tuenda admodum sunt proficia. De PASCALIO primum excellenti Mathematico & quidem *autoδιδακτω*, post contemtore harum scientiarum evolvi meretur BAELIVS in *Dicit.* l. c. p. 1918. *edit. recensissima.* HVETIVS, quem Mathesi haud leviter tinctum fuisse ex *Comm. de rebus ad eum pertinentibus* p. 29. seqq. discimus, in *Demonst. Evang. pref. ad Defin. XI.* & *Axioma IV.* copiose Geometricam certitudinem impugnat, refutatus a L. C STVRMIO *Tr. de Natura & Constitutione Matheseos* p. 64. seqq. III. THOMASIVS *Cautelarum Cap. XI.* ex quo simul peritia Ipsius Autoris in Mathematicis clucefecit, nimia de scientiis Mathematicis elogia variis observationibus perstrinxit, cum quibus Eclecticus non sine fructu conferet Celeberrimi Wittembergensium Mathematici WEIDLERI *Apologiam pro Mathematicis*, puæ in *Miscell. Lips. Tom. I. est Obs. XVII.* Quod attinet ad particulares doctrinas Mathematicas & cumprimis Geometricas, de iisdem plurimas esse inter Mathematicos controversias, non tantum Hobbesii & Wallisii supra commemoratae controversiae docent, sed alia etiam exempla probant. Vtar verbis BAELII. l. c. *Ce qu' il y a de bien constant est, qu' il regne beaucoup de disputes entre les plus fameux Mathématiciens, Ils se refusent les uns les autres; les Repliques & les Dupliques semultiplient parmi eux tout comme parmi les autres Scavans. Nous voions cela parmi les Modernes & il est sur, que les Anciens ne furent pas plus unanimes conf.* HVETIVS in *Demonstr. Evang. Axiom. IV.* p. 28. 29. WERENFELSIUS Controversias a Clavio contra Peletarium, Hobbesio contra Mathematicos, Stevino contra Euclidem motas recenseret, atque Logomachiis annumerat *Diss. de Logomachiis Cap. II. §. 9.* Instar omnium esse possunt lites de Quadratura Circuli, de quibus ACTA ERVEDITORVM LIPSIENSIA multa referunt, ubi optime mihi videntur ii sentire, qui impossibilem judicant: contradictorius enim merito videtur conatus, curvam lineam rectæ, cui contradictione opponitur, æquiparare velle. Imo ipsi illi eruditæ, qui Matheseos certitudinem defendere, atque e defectu controversiarum præter alia argumenta cingere conantur, non negant controversias, sed distinctione

stinctione inter Mathesin in abstracto & in concreto consideratam
h. e. inter Mathesin & Mathematicos resolvi objectionem, atque
argumentum vindicari sibi persuadent; siquidem horum controver-
siae & lapsus illi imputari non debent. v. S. R. D. IOH. MICH.
LANGII *solutio Philos. questionis cur Mathesis Controversia
careat?* quam Jenæ proposuit a 1690. pro loco in Facultate Phi-
losoph. obtinendo p. 19. Tetigerunt eandem distinctionem, & ap-
plicationem ejusdem rejecerunt HOBESIVS & BAELIVS II. cc.
ostendendo eodem jure quascunque scientias alias, Physicam, Mo-
ralem, a. Controversis immunes haberi posse. Quid vero est illa
Mathesis extra Mathematicos, præter vacuum sonum? Gui Sub-
stantiæ Modus iste inest? quis aliam quam Mathematicorum Ma-
thesin intelligit, quando de Matheseos certitudine & applicatione
sermo est?

§. IV.

*Sunt erro-
res in Ma-
tēsi.*

Ratio nunc in promtu est, cur plerisque tantum doctrinis Ma-
thematicis certitudinem supra §. I. asseruerim, omnibus enim hanc
landem tribui non posse, ea, quæ de Controversiis Mathematicis
modo obliteravimus, satis evincunt. Addam pauca Specimina ma-
nifestissimorum errorum, quos acutissimi Mathematici, humanum
quidpiam passi, commiserunt: *Circulum equalē esse triangulo,*
cujus basis Peripheria, altitudo radio sit equalis, post ARCHIME-
DEM, KEPLERVS, PARDIES, STVRMIVS, & in primis Ex-
cellentissimus WOLFFIVS in *Elementis Geometriae* §. 388. inter
Theoremita retulerunt. ita ut universalis ferme hic habeatur Geo-
metrarum consensus. Demonstratio hoc ntitur fundamento, quod,
si concipiatur Polygonum plurimorum laterum circulo inscriptum,
tandem chordæ cum Peripheria coincidere debeant, ita ut arcus
infinite exigui supra chordam suam excessus sit quovis dato mi-
nor sen inassimabilis, adeoque revera nullus. Verissima esset
Propositio, si Problema diceretur, Praxim circa lineas physicas,
quæ *angib[us] linearum & demonstrationum Mathematicarum re-*
spuunt, in charta, tabula, campo concernas: ast in Theore-
mata

mate recordari oportebat linea Mathematicæ, quæ in definitione linea unice exprimebatur, itemque discriminis inter lineam rectam & curvam, quod tantum est, ut majus esse nequeat: opponuntur enim sibi invicem contradictorie; sicut linea recta definitur, cuius singula puncta versus eandem plagam posita sunt, ita linea curva est, in qua puncta diversa non versus eandem plagam, sed versus plagas diversas posita sunt; aut sicut linea recta describi dicitur, quando punctum Mathematicum per viam brevissimam movetur, ita in curva a via brevissima recedit & per ambages incedit. Impossibile, igitur est, ut unquam in ullo casu linea recta sic curva, & curva recta, aut falsum erit Principium, quod vocant Contradictionis: Impossibile est, idem simul esse & non esse. Axioma igitur est, lineam curvam circularem non posse haberi pro basi trianguli recti linei. Quacunque igitur specie ex Analyticis methodis indivisibilium aut infinitesimali demonstratio petatur, certissimum tamen est, nonnisi Paralogismum esse posse & Sophisma, unde porro cognoscimus, etiam Algebraica ratiocinia non esse ab errore prorsus immunia. Manifestum etiam est praesentem errorum ex confusione, communissimo errorum fonte, ortum esse, nimirum ex confusione linea physica cum Mathematica, ne quid dicam de Prajudicio Præcipitantiæ & autoritatis, quorum utrumque hoc in argumento sese exserere videtur. Nihil etiam facilius est, quam evitare & detegere hunc errorum, modo definitio linea menti semper obversetur, quæ eum in finem secundum methodi Mathematicæ leges præmittitur, ut quotiescumque nomen occurrit, definitionem ejus mente repetamus. Paulo prolixior fui in evolvendo hoc errore, lineas curvas cum rectis confundente, quod fœcundus admodum videtur: siquidem contradictorii conatus demonstrandi Quadraturam Circuli, proportionem Diametri ad Peripheriam similiaque ~~παρεργαστα~~ eidem originem debent. Nemo existimet in contemptum Mathefeos vel summorum Mathematicorum ambitione hac a me urgeri: namque, quo magis veneror, atque omnibus cujuscunque eruditionis cultoribus commiendo nobilissimam

lissimam scientiam , eo magis opto , ut quantum fieri potest , a defectibus liberetur : tantum vero abest , ut Virorum alias acutissimorum παροραματα ambitionem apud me excitent atque titillent , ut poitus modestiam & circumspectionem inspirent atque commendent . Subjungere liceat exemplum ex Mechanicis : Celeberrimus WOLFFIUS Elem. Mech. §. 149. *Corporis humani centrum gravitatis , propter observationem BORELLI inter nates & pubim existere afferit , de corpore humano in universum aut de plerisque hominibus id intelligere , ex collato §. sq. patet.* Ast BORELLVS de Motu Animalium Propos. 134. nonnisi unum hominem experimento suo exploravit , atque magna circumspectione ita concludit : *Quare Centrum gravitatis illius hominis extensi in illo situ existebat.* Eu unum errorem , ασυλλογισιας defectu laborantem , siquidem a singulari ad universale concludebatur ! succedit alter error in Scholio §. 150. quo motus in generatione facilitari dicitur per ipsum centri gravitatis situm , citato §. 88. h. e. Corollario 3. definitionis de Centro gravitatis : *Totam corporis gravitatem in centrum gravitatis coactam supponere licet , ex quo tamen , nisi omnia me fallunt , contrarium , nempe difficultas illius motus , immediate & evidentissime colligitur , ita ut manus humana , quo remotior est a centro gravitatis , eo aptior ad motum judicetur.* Ipsum hunc errorem Mechanicum detexit , atque cum sale satyrico nimis acerbe perstrinxit Autor Anonymus des Vertraulichen Gesprächs über H. D. Buddei Bedencken und H. P. Wolffens Anmerckungen. p. 21.

§. V.

Matheſſis ratione Cer- certitudinem , nunc demum comparare eandem licet cum aliis scien- titudinis comparata tiis Philosophicis , ut constet , an æquiparanda iisdem sit , an præ- cum aliis scientiis. ferenda ratione Certitudinis. Difficultatem aliquam omnis habet comparatio : primum enim singula , quæ comparantur , exakte co- gnoscere , deinde partes singulorum inter se solicite conferre oportet , quando de integris systematibus judicium est ferendum , Fa- cillum

cillimum igitur est præcipitanter hic judicare & aberrare cum in singularum consideratione, cum præcipue in illorum collatione. Qui Philosophiam stricte dictam nimio amore prosequuntur, facillime non animadvertunt nævos atque defectus suæ Philosophiæ, atque uti suum cuique pulchrum est, sibi persuadent, eam ita perfectam esse, qualem optant atque qualis esse debebat, deinde quando Mathematicas nonnullas demonstrationes a suis multum differte, iisdemque inferiores esse observant, illico omnem Mathesin inde judicant, omni certitudine destitutam existimant, suæ autem Philosophiæ soli demonstrationes perfectissimas vindicant. Qui Matheseos, amore occœcati sunt, suam scientiam perfectissimam esse, cumque in aliis defectus quosdam deprehenderint, has omnes demonstrationibus carere, suam vero Mathesin sine defectu optimis demonstrationibus abundare arbitrantur: Huc spectant verba *Celeberrimi WOLFFII in prefatione Logice suæ p. 3.* reperiunda: *Nun vvære derjenige entvueder hæchst unverschäm̄t, oder überaus einfältig, vvelcher vorgeben vvollte, man kænnte ausser der Mathematick eben so gründlich ervvisene oder demonstrirte Wahrheiten und so richtige Erfindungen antreffen, als in derselben.* Probatio, quæ subjungitur, ponit, extra Mathesin vel Mathematicam adhiberi Methodum, vel aliam: In hac asserit magnam deprehendi a Viris perspicacibus confusionem, quod definitiones nominum vel nullæ vel ineptæ adhibeantur, multa sine probat;one assertantur, aut insufficienter & inepte probentur. Illam Mathematicam methodum a nemine adhuc in aliis disciplinis bene applicatam esse arbitratur, id quod exemplis Cartesii, Raphsonii, Spinotæ probare conatur. In contrarium observo, quamvis de Spinoza Paralogismis sub Schemate Methodi Mathematicæ in Ethica propositis dubium nullum sit apud sapientes, Cartesii tamen & Raphsonii demonstrationes de Deo nondum ita universaliter Paralogismis esse annumeratas, ut pudorem exuisitè aut mentis non bene compos dici possit, qui Geometricam evidentiam iisdem tribuit. Deinde paucula hæc exempla nondum evincunt, nemini hucusque bene cessisse

cessisse applicationem Methodi Mathematicæ in allis disciplinis. Miror Celeberrimo Viro non succurrisse PVFFENDORFIVM , cuius *Elementa Jurisprudentiæ Universalis* methodum illam non infeliciter adhibuerunt. Forte a Puffendorfio alienum reddidit LEIBNITII autoritas , qui acerba censura doctrinas Puffendorfianas, nominatim in libello de officio Hominis & Civis comprehensas, perstrinxit in Epistola , quam exhibit Neuer Bücher Saal Tom. I. p. 836 quamvis , ut libere sententiam meam exponam, Vir de omni re litteraria in plurimis optime meritus nonnisi Præjudicia Philosophiæ Scholasticæ aut Logomachias Puffendorfio opponat. Miror etiam , omissum esse mentionem ERH. WEIGELII , cuius *Philosophia Mathematica & Analysis Aristotelica ex Euclide restituta* plura habent egregia , utut illud institutum , quo quantitates improprie dictas, e. g. Moralem , logicam sub uno quantitatis h. e. valoris, æstimabilitatis genere comprehendere , atque hinc Mathesin ceu complementum omnis eruditionis haberi voluit, a Philosophis æque ac Mathematicis non immerito fucrit desertum. Magno etiam applauu recepta est H V E T I I *Demonstratio Evangelica* secundum Mathematicæ Methodi regulas conscripta. Ne quid dicam de particularibus doctrinis ac singularibus Dissertationibus eadem methodo consignatis , quarum non parvus Catalogus colligi posset. In primis autem urgendum esse videtur discrimen , externi schematis ab interna essentia Methodi Mathematicæ , quod ipse agnoscit WOLFFIVS in *præfatione Philosophiæ Moralis* ; excerptus autem ex præf. Log. locus, ubi de Methodo Mathematica agit, solum externum schema intelligit , alias enim errorum Spinoſæ aliorumque demonstrationes accusare non potuisset. Quid igitur obstat , quo minus Philosophi , qui ab externo Schemate abstinuerunt, essentiales atque internas Methodi Mathematicæ leges observasse potuerint ? Imo factum id esse , inde colligo , quod pleræque Veritates Morales Wolffianæ una cum argumentis suis jam dudum ab aliis Matheſeos non æque gnaris , æque fuerunt demonstratae. Medium ergo inter duo extrema teneamus viam , quam accuratius examen Mathe-
mati-

maticarum aliarumque Philosophicarum doctrinarum suppeditat : utræque sua gaudent certitudine, negari tamen nepuit, plures hucusque in Mathesi repertas fuisse demonstrationes, quam in aliis disciplinis, atque hanc ob causam pauciores hic occurrere controversias , pauciores errores.

§ VI.

Si Causa hujus Prærogativæ quæratur , ut aliis etiam disciplinis inde lux accendi possit, non illico ad Methodum Mathematicam confugere , & in hac sola Causam eximiæ Certitudinis statuere licet : objecti ante omnia est habenda ratio , hoc enim sine dubio ^{je^{cto} qua^{renda}} peculiari ad certitudinem gaudet aptitudine, qua reliquarum scientiarum objecta destituuntur. Primum , cum reliquæ scientiæ Philosophicæ omnes , sola excepta Physica , objecta habeant a sensibus remota , immaterialia , intelligibilia , objectum Matheseos omne est sensibile vel imaginabile. De Geometriæ objecto dubitare nemo potest, qui linearum Mathematicarum , figurarum , corporum ideas mente sua tenet, easdemque debita cum attentione observat : solo enim Intellectu , quem purum hac de causa appellamus , sine imaginatione hæc talia cogitare impossibile est. Arithmetices objectum ambiguum videri posset, siquidem non corpora tantum , sed Spiritus etiam numeramus , numerus ergo in genere intelligibilis esse videtur, quod corpori æque ac Spiritui applicatur. Verum enim vero , quamvis certissimum sit , Spiritus numerari , atque ut exemplum mere philosophicum proferam , tot esse mentes , quot corpora humana , quando tamen ad modum attendimus , quo e. g. tres Spiritus concipimus , deprehendimus , unum collocari in medio , reliquos ad dextrum ipsius latus , & sinistrum vel anterius & posterius , superius vel inferius. En imaginationem ! Ergo vel Spiritus omnes materiales agnoscere oportet , vel fateri citra imaginationem & extra sensibilia non dari claros & distinctos numerorum conceptus. Exinde patet (quod $\omega\sigma\pi\alpha\varrho\delta\omega$ observare liceat) mysterium Trinitatis eo minus objectionibus Philosophicis impugnari posse , quo ineptiores sumus ad cognoscendum $\tau\alpha\delta\omega\tau\alpha$ in numero

B 3

vel

vel Spirituum creatorum. Id vero , quod in Arithmeticā præcipuum est , Praxis & inventio numerorum incognitorum ex cognitis , characteribus numerorum , & ordini quo scribuntur , ita alligatum est , ut sine sensibus & imaginatione nulla sit Problematum Arithmeticorum solutio. Falluntur igitur , Cartesiani , qui Intellectu Puro entia Mathematica percipi sibi aliisque persuadent , & Chiliogonum illustre specimen Intellectus Puri esse existimant : etenim , angulos Chiliogni æquales esse 1996. angulis rectis non ex idea clara & distincta Chiliogoni (quæ deest , & si adesset , ad imaginationem pertineret) sed ex Theoremate imaginabili : tres angulos cujusque Trianguli æquales esse duobus rectis ; ex numero mille laterum & totidem Triangulorum , quæ ad centrum protensa imaginamur , ex multiplicatione per duos angulos rectos , denique ex subtractione quatuor angulorum rectorum , quibus mille anguli ad Centrum sunt æquales , adeoque per operationes Arithmeticas & imaginationem conficimus. Errorem hunc vel produxit vel saltem confirmavit Scholasticorum incongrua de abstractione doctrina (de qua vid. B. ROETENBECCII Præceptoris quondam mei aeternum venerandi Diss. cui tit. *Cum scientiarum divisione male concrescens Abstractionis*) siquidem Mathesi abstractionem a materia singulari & communi , sed ratione tantum tribuerunt , atque materiam intelligibilem non sine contractione effinxerunt , quam etiam BLANCANVS de natura Mathematicarum citatus a BAELIO l. c. RENALDINVS aliqui citati THOMASIO *Cautel. Cap. XI. §. 21. not. u.*) objectum Matheseos puræ fecerunt. Evidem non nego , abstractions occurere in Geometria , ita ut lineas ceu longitudines , non negata sed neglecta omni latitudine & profunditate , figuras ceu Plana sine omni crassitie (qua observatione pleraque cadunt cavillationes SEXTI EMPIRICI , HOBESII , BAELII abstractionem cum negatione confundentes atque impossibilitatis entia Mathematica argentes) verum subsistit hæc abstractio intra imaginationem & saepissime non nisi verbalis est sine Phantasmate vel idea e. g. quando de Triangulo in genere sermo est , ut deinde ratione angulorum &

lato-

laterum dividi possit, vel nullam habeo ideam, vel specialem aliquam & determinatam, e. g. ideam trianguli acutanguli & quilateri, quod etiam in figuris Geometricis pro exprimendo triangulo in genere delineari solet. Ergo Triangulum in genere est abstractio mere verbalis. Secundo cum materiali & sensibili objectorum indole cohaeret peculiaris in cognitione facilitas, qua carent plerque aliæ scientiæ Philosophicæ, quæ in ipso limine difficiles esse solent, unde ideæ obscuræ, confusæ, atque errores frequentissime oriuntur. Tertio Mathematicæ veritates omnes æque experimentales sunt ac demonstrabiles, ita ut singulorum Theorematum veritatem praxi vel in charta vel opere ipso experiri quodammodo liceat. Quid? quod historia philosophica docet, primos Geometras praxi didicisse veritates atque conclusiones, quibus demum recentiores demonstrationes quæsiverint atque addiderint. Nondum oblitus sum inculcati supra discriminis inter lineas physicas & Mathematicas, quarum illæ in praxi, hæ in Theoria locum habent: - Verum hac occasione observare juvabit, lineas physicas, modo tanta subtilitate atque accuratione, quanta fieri potest, ducantur, oculis nostris propter ipsorum hebetudinem ita repræsentari. ut defectus illos, in quibus ab accuratione lineæ Mathematicæ recedunt, observare non liceat, adeoque ipsa sensatio imaginationem lineæ Mathematicæ promoveat, unde nova horum objectorum facilitas elucescit. Tandem Matheœos puræ objectum id habet peculiare, quod Ens rationis sit, fictum, possibile h. e. compositum quid, cuius ideæ singulæ sibi mutuo non repugnant, ita ut Mathematicus in demonstrationibus suis non dilquirat, an exemplar suarum idearum extra Mentem existat nec ne, & solus ferme ISAACVS BARROW Lect. V. p. 85. (quam citationem Bælius l. c. exhibit) ægre ferat, VOSSII BLANCANI aliorumque Mathematicorum ingenuam confessionem, objectum Matheœos non existere extra Intellectum. Philosophia autem & Matheœos mixtæ objectum esse revera & actu existens manifestissimum est. Physica nimurum corpora existentia horumque essentias, modos operandi, Causas; Theologia

1100 2000 25-000 0000
 00000

logia Naturalis Dei , cuius existentia primum demonstratur , attributa ; Ontologia ens existens in genere , sicut reliquæ scientiæ species existentium ; Pneumatologia Spiritus existentes ; Jurisprudencia Naturalis decreta Supremi Numinis actualia non tantum considerant , sed etiam considerare tenentur , si scopum attingere h. e. felicitatem hominum revera existentium promovere velint . Hic dissentit a nobis cum LEIBNITIO Celeberrimus WOLFFIVS in possibili totius Philosophiæ objectum collocans , ut eo melius certitudo Methodi Mathematicæ ibidem obtineri possit ; consentit autem rursus , dum precipuum & frequentissimum medium obtainendi ideas & definitiones nominales quærere jubet in observatione rerum actu existentium , unde per argumentum , quod ab esse ad posse appellant de realitate Idearum & definitione convincamur , Log. c. I. § 5., & 29. *Diss. de Methodo Math. Elementis Mathesos Latinis præmissa* §. 19. & 23. Ex his tacitam elicio confessionem Philosophiæ & Matheſeos mixtæ primaria objecta esse existentia . Aperi- tius & plenius nobis cum sentit Celeberrimus RVDIGERVS , dum Physicæ divinæ Lib. I. Cap. I. §. 41. Matheſeos objectum esse ens possibile , sicut Philosophiæ ens reale afferit . Quando vero insigne discrimen ratiocinationis sive methodi Mathematicæ a Philosophica inde exsculpere conatur , in eo non possum non dissentire : etenim non obſtante objectorum diversitate eadem esse utroque potest demonstrandi ratio , imo non potest non esse una- cademque , id quod uberioris jam nunc demonstrabitur .

§. VII.

*Methodi
Math. es
fentia.*

Essentiales Methodi Mathematicæ partes & regula absolvuntur
 1) *definitionibus* : nulla scilicet occurrat sive in conclusione sive in
 præmissis vox alicujus momenti , cuius non præmittatur definitio .
 2) *Axiomatibus* h. e. Propositionibus , quæ per solas subjecti &
 Prædicati sui definitiones evidentissime certæ sunt , ita ut contra-
 rum manifestam implice contradictionem , quæque univales sunt ,
 ut alias magis particulares comprehendant , atque has ex illis con-
 cludere

cludere liceat. 3) *Theorematibus*, quæ ceu conclusiones non-nisi ex præmissis definitionibus, Axiomatibus, aut Propositionibus jam ante demonstratis, quas nunc *Lemmata* appellant, probantur & necessario nexu deducuntur. Reliquas, quæ in demonstrationibus nonnullis Mathematicis reperiuntur, partes accidentales esse, exinde patet, quod sine istis esse possit perfecta demonstratio. *Postulata* alia sunt Axiomata Practica v. WOLE FII *Diss. de Methodo Math.* §. 30. adeoque vel simpliciter annumeranda sunt Axiomatibus, vel Praxin illam concernunt, quam demonstrationis accuratæ minus esse capacem supra observavimus, alia autem sunt Lemmata, vel suppositiones ex aliorem concessione, vel confessione in demonstratione *κατ' ανθρώπου* assumta v. §. 32. *Diss. cit. Corollaria* s. Consectaria sunt conclusiones ex Propositione aliqua per consequentiam adeo facilem deductæ, ut quamvis demonstrari possint, demonstratione tamen non indigeant, *Scholia* ex argumentis ilustrantibus et explicantibus constant. e. g. evolutione ambiguitatis vocum, resolutione objectionum, historia dogmatis. *Experimenta* ceu propositiones minores & *Problematæ* ceu conclusiones Practicæ in Mathesi mixta occurrunt, in pura autem Mathesi, de cuius methodo unice solicii sumus, locum non habent. Denique accidentalibus Methodi Mathematicæ partibus anumerari etiam meretur Schema externum sive ordo ille, quo primum definitiones, quotquot in posterum necessariæ judicantur deinde Axiomata, & ultimo loco Theorematæ una serie exhibentur, atque singulæ istæ partes numeris suis distinguuntur, ut in ipsa demonstratione præmissas hasce solo numero compendiose allegare liceat. Etenim habemus integra Compendia Matheseos, quæ neglecto hoc ordine, veritates tamen suas accuratissime demonstrant e, g. B. STVRMII nostri Mathesin Juvenilem. Et quid obstat, quo minus in demonstratione alicujus Propositionis illas demum proferre liceat definitiones & Propositiones Axiomaticas, ex quibus conclusio elicetur? Tantum etiam abest, ut ordo iste externus in quarumvis veritatum Mathematicarum sive inventione

C

tione five communicatione sit necessarius, ut potius, quando nimis seru-
puloſe ubiſis adhibetur, tedium pariat, atque confuſioni & errori locum
faciat, ſiquidem definitionum longo intervalo p̄r̄missarum facile obli-
viſci, earumque loco alioſ significatus atque ideaſ aq̄ue vel magis fami-
liares ſubſtituere poſsumus, id quod exemplo erronei illius Theorema-
tis Geometrici probari potest, quod ſupra §. IV. fuſius eſt refutatum.

ſ. VIII.

*Eadem ſunt
partes in de-
monſtr.
Philof.*

Philofophicæ demonstrationis omnis ultima funda‐menta ſunt
Axiomata h.e. Propositiones universales ſine omni probatione
certiſſimæ, ex quibus reliquæ veritates Philofophicæ ceu magis par-
ticulares concludantur. Non tangam nunc controverſias illas; an uni-
cum aliquod ſit totius Philofophicæ cognoscendi principium, an duo, an
ſingulae genuinæ Regulæ Philofophicæ principiorum instar haberi po-
ſint? quas Logomachias eſſe et ſolum proponendi modum concerne-
re in *Curſu Philofophico* { cui propediem ultimam admovebo ma-
num } Tab. XXVII. docui: namque citra controverſiam eſt cer-
tiſſimum, niſi darentur Axioma vel Axiomata, nullam fore de-
monstrationem, & quicquid ſub ſplendido hoc nomine exhiberetur,
vitiosum fore circulum aut petitionem principii. *Definitiones*,
præſertim nominaleſ, partim pro intelligentis atque adſtruendis
Axiomatibus, partim pro intelligenda atque liberanda ab ambiguo
ſenu conculione vel quæſtione non tantum utiles, ſed etiam ma-
xime neceſſariaſ eſſe, eſt evidentiſſimum. Ut vero absolvatur de-
monstratio Philofophica, nihil requiritur amplius, quam ut Axio-
mati ceu Propositioni majori ſubjiciatur loco minoris Axioma ma-
gis particulare, vel Lemma h.e. Propoſitio jam ante demonstrata,
atque ita per vim ratiocinii eruatur Conclusio neceſſario vera. Con-
veniunt ergo demonstratio Mathematica & Philofophica in eſſen-
tialibus Methodi Mathematicæ partibus, conveniunt etiam in ac-
cidentalibus, ſiquidem in Philofophicis etiam Postulata, Scholia,
Experimenta, Problemata adhibere non tantum licet, ſed pro argu-
menti conditione oportet. conf. *Summe Reverendi Domini GE.
JEREM. HOFFMANNI Diff. Propoſiti onem hanc: Bonam Me-
thodum tradendarum ſcientiarum non eſſe niſi unicam,*
eam-

eamque Geometricam ipsa Geometrica methodo adhibita, egre-
gie demonstrans, quam Jenæ edidit, A. 1690. Verissimam hanc
Veritatem labefactare videntur defectus definitionum & ratiocinio-
rum in demonstrationibus Philosophicis. Non omnia definiri posse in
Philosophia, sed esse quasdam ideas primas, simpliciores e. g.
motus, colorum, quæ sine definitione intelligantur, & in aliarum
magis compositarum rerum definitionibus adhibeantur, res est Lo-
gicis notissima; ergo deesse quandoque videtur in Philosophia, pars
methodi Mathematicæ essentiales, unde non leve emerget inter
demonstrationem Philosophicam et Mathematicam discrimen: Ast
in ipsa etiam Mathesi non omnia definiri posse, facillimum est pro-
batu: Celeberrimus WOLFFIVS Log. Cap. I. §. 43. universalem
suppeditat rationem, quæ ad Philosophiam æque ac Mathesin qua-
drat: Jedoch ist es nicht möglich von allen Dingen eine Wort-
Erklärung zu geben. Denn sie mus aus Merkmahlen zusammen
gesetzt werden, dadurch eine Sache von allen andern unterschie-
den wird. Alle diese Merckmahle werden durch Woerter angedeu-
tet. Derowegen ist vonnoethen, dass etliche Woerter müssen un-
erkläret angenommen werden, die wir lernen, wenn wir die ge-
genwärtige Dinge nennen hören: nulla igitur hinc probatur de-
monstrationis Philosophicæ differentia. Deinde cum definitiones
tantum signa sint idearum, substituamus signatum in locum signi,
atque regulam de definitionibus ita inflectamus, ut prohibeamur
quidpiam sive in conclusione sive in Præmissis assumere, cuius
non habeamus ideam, quæ si fieri potest, verbis etiam exprima-
tur, ut novo indicio summa elucescat harmonia inter demonstratio-
nem Philosophicam & Mathematicam. Quod attinet ad ratiocinia,
Mathematici hodie celeberrimi facile concedunt, omnem demon-
strationum suarum vim consistere in ratiocinio, ita ut omnes in Syl-
logismos formales transmutari possint ad exempla HERLINI &
DASIPODII qui VI. priora Elementa Euclidis in forma Syllogistica
exhibuerunt, quamvis id non ubivis necessarium esse, sed enthy-
mematice Præmissam satis evidenter omitti posse existiment v.

C 2

LEIBNI-

LEIBNITIVS in Act. Erud. Lips. a. 1684. p. 541. & WOLF-FIVS Diff. de Meth. Math. §. 45. sqq. Inter Philosophos autem Viri acutissimi reperiuntur, qui pertaci ineptarum & superfluarum doctrinarum Syllogisticarum omne ratiocinium omnem Syllogismum, ceu minus aptum pro veritatibus inveniendis rejicere videntur, qua sententia rursum nostra Methodorum Philosophicæ ac Mathematicæ harmonia infringitur. Non diffiteor, impune negligi posse plerasque Aristotelicorum doctrinas de figuris, modis, regulis Syllogisticis, quæ sæpe nonnisi formulas a naturali ratiociniorum ratione nimis recedentes, atque captiosæ disputationi & ostentationi magis quam veritati inveniendæ aut communicandæ adaptatas continent; ast sunt tamen aliquæ Syllogismorum & ratiociniorum formæ e. g. quæ sub terminis technicis Barbara & Darii in prima figura, Camestres, Barocco in secunda apud Aristotelicos indicantur, quarum fundamenta sine ambagibus ex Subalternationis doctrina & paucissimis regulis in Arte Cogitandi lib. 3. c. 10. reperiundis eruuntur, quarumque usus proveritatibus inveniendis ita naturalis est & necessarius, ut rudes etiam, in primis in conscientia, iisdem utantur. Video autem acerrimos Syllogismorum impugnatores, quod sub Syllogismi nomine negant, sub Syntheticæ Methodi nomine concedere, ita ut non tantum Enthymemata sed plenos Syllogismos majore, minore & conclusione constantes exhibeant: Ergo re ipsa nobiscum sentiunt, omnisque quæ inde suscipieretur controversia esset Logomachia. Ne novus oriatur scrupulus, vel duobus verbis obseruo inter methodum Syntheticam & Analyticam non intercedere tantum discrimen, quantum plerisque videtur eruditis: sive enim ab Axiomatibus incipiamus, & ex his conclusiones per modum Consectariorum deducamus, sive a quæstionibus incipiamus, & principia quæramus, ex quibus conclusiones decidantur, quorum illud in Synthetica, hoc in Analytica methodo observatur, utrobique res omnis reddit ad ideas, definitiones, Axiomata, ratiocinia, arque una eademque est vis demonstrationis. Firmo igitur statu sententia nostra, nullum esse inter methodum demonstrandi Mathematicam & Philosophicam discrimen.

§. IX.

§. IX.

Operæ pretium est, generales, quas hucusque proposuimus *Exemplum*
doctrinas, uno altero de declarare exemplo. Ex Mathematicis re-*demonstra-*
petemus Propositionem I EVCLIDIS, quæ, quamvis Practica sit *Ma-*
seu Problema, in formam tamen Theorematis facillime mutari po-*thematica.*
test: Super data recta linea terminata A B. triangulum æquilate-
rum A B C constituere: Resolutio, quæ simul est demonstratio,
hujus est tenoris; Centris A & B, eodem intervallo A B vel B A
describe duos Circulos (vel imaginare descriptos duos Circulos)
se intersecantes in puncto C per postulatam 3. (quovis centro &
intervallo circulum describi posse) ex puncto illo C. duc rectas C A,
C B per postul 1. (a quovis punto ad quodvis punctum duci posse
rectam lineam) Erit A C = A B = B C = A C per defin. 15. (*Cir-*
culus est figura plana, sub una linea comprehensa, que peripheria
appellatur, ad quam ab uno punto eorum, que intra figuram sunt
posita, cadentes omnes rectæ lineæ inter se sunt æquales) & per
Axioma. I. (qua eidem equalia & inter se sunt equalia) Quare
triangulum A C B est æquilaterum per defin. 23. (*æquilaterum est*
triangulum, quod tria latera habet equalia) Quid erat facien-
dum. CLAVIVS in Comm. in Euclidem Operum Tomo I. p. 28.
demonstrationem eandem sequentibus tribus proposuit Syllogismis:
I. O. triangulum habens tria latera equalia, est æquilaterum per
defin. 23.

Triangulum A B C tria habet equalia latera

Ergo Triangulum A B C est æquilaterum.

II. minorem antecedentis ita probat:

Quæ eidem equalia sunt, inter se quoque sunt equalia per Ax. I.

Duo latero A C, B C equalia sunt eidem lateri A B.

Ergo duo latera A C, B C inter se equalia sunt.

Ac propterea omnia tria latera A B, B C, A C equalia existunt.

III. minorem proxime antecedentis ita colligit:

*Linea recta a centro ducta ad circumferentiam Circuli inter se sunt
 æquales per defin. 15.*

C 3

Linea

Linea AB , AC , sunt ductæ a centro A , ad circumferentiam
CBD

Sunt igitur linea AB , AC , æquales inter se.

Eademque ratione erunt linea AB , AC æquales, cum ducantur a centro B ad circumferentiam CAD . Quamobrem minor præcedentis Syllogismi tota confirmata erit. Ad Syllogismos hos Clavianos anno 1.) Syllogismum primum plane otiosum esse ac superfluum, imo petitionis Principii accusari posse, siquidem minor nihil aliud indicat, quam conclusio. Si simili scrupulositate uti voluisse Clavius in reliquis, vix quinque aut sex Syllogismis demonstrationem exprimere potuisset. 2.) Melius exprimi omnem demonstrationem unico hoc Syllogismo:

Quæcunque linea sunt duorum Circulorum inter se æqualium radii, illæ inter se sunt æquales.

Tres linea præsentis Trianguli sunt duorum Circulorum inter se æqualium radii,

Ergo Tres linea præsentis Trianguli sunt inter se æquales h. e. Triangulum hoc est æquilaterum per defin.

& Philoso. pbice. Major nititur definitione Circuli & radii, minor inspectione vel imaginatione figuræ. 3.) Sine formalibus Syllogismis easdem demonstrationes sua gaudere certitudine & accuratione, ita quidem, ut minores propositiones subinde præmittantur, majores vel sequantur, vel enthyematice omittantur, & allegatione Axiomatum, & definitionum indicentur. Exemplo Mathematico subjungam Philosophicum, demonstrationem existentiæ Dei, quam quisque ex se deducer. Initium faciant de-

def. 1. definitiones Causæ efficientis & effectus: Illa est ens agens, actione sua

def. 2. quidpiam producens, hic est ens actione alterius ortum vel productum.

Ax. 1. Seqantur Axioma Causam dividens in Principalem ac minus Principalem,

def. 3. quarum illa sufficientem habet pro effectu producendo virtutem;

def. 4. hæc, quamvis aliqua polleat pro effectu producendo virtute, & ejusdem exercitio ad effectum producendum quidpiam contribueris, virtutem tamen habet minime sufficientem. Axiomata pariter sunt sequentes Propositiones : Causam Principalem

scire

Scire atque intendere effectum, ejusdemque partes, scire modum, quo *Ax. 2.*
 singulas produixerit: Siquidem hæc nescire & Causam principalem esse
 sunt contradictoria; unde fluit Corollarium; Causam quæ neque scit *Cor.*
 neque intendit effectus partes, nonnisi minus Principalem esse; Cau-
 sam minus principalem certissimum esse indicium Causæ Principalis, ut *Ax. 3.*
 hujus existentia ex illius & effectus existentia certissime concludatur;
 Cau am aliam esse secundam, aliam Primam, illa definiatur quæ alio *Ax. 4.*
 respectu sit Causa, alio effectus; hæc, quæ nullo respectu sit effectus; *def. 5.*
 in Scholio statim indicetur Causam primam etiam dici Ens Independen- *def. 6.*
 dens, & ens a se in sensu negativo: Causæ secundæ indicant Primam, *Ax. 5.*
 ita ut si non existeret Prima, non esset secunda & daretur Pro-*def. 7.*
 gressus infinitum, quod tamen est absurdum. Definiatur homo
 ex experientia propria interna & externa substantia composita ex
 corpore & Mente, hisque ita unitis, ut passiones corporis sequan-
 tur perceptiones Mentis, hujusque volitiones certæ corporis mo-
 tiones. Ex experientia supponatur me ceu hominem existere: *Exper. 1.*
 postuletur concedi, me ceu filium ex patre & matre esse natum, *Post. 1.*
 horumque ceu causarum effectum. Tandem ex experientia summa- *Exper. 2.*
 tur, parentes nescientes, quibus partibus constet filius, æque ge-
 nerare filium ac eruditos harumque rerum gnaros. Ex his Præ-
 missis facile nunc esset more Geometrarum demonstrare existen-
 tiā Dei, sed brevitatis studio duobus Syllogismis principalibus
 rem expediam:

Quicquid habet Causam minus principalem, habet etiam Causam
 principalem:

Atqui ego habeo Causam minus principalem, parentes;

Ergo etiam habeo Causam principalem h. e. Deum, cuius, quamvis
 minus adæquata notio ita demonstratur, magis adæqua-
 tam ideam suppeditat sequens argumentum:

Quicquid habet Causas secundas, habet etiam Causam Primam:

Atqui ego habeo Causas Secundas, Parentes;

Ergo etiam habeo Causam Primam h. e. Deum, cuius infinita Per-
 fectio ex independentia porro colligitur, unde etiam constat Deum
 esse

esse ipsam illam Causam sufficientem , quam prius argumentum demonstravit. Pro-Syllogismi ex antecedentibus aliisque notissimis veritatibus facile eruentur. Putaverim autem non ovum ovo magis simile esse, quam demonstratio hæc Philosophica præpositæ Mathematicæ demonstrationi.

§. X

Fontes solutionum objectionum & Rudgerianarum. Sine difficultate dijudicari nunc possunt argumenta , quæ pro ostendendo discrimine inter methodum Mathematicam & Philosophicam magna copia produxerunt Celeb. RUDIGERVS in Institutio-
naru. Erud. s. Philos. Synthet. lib. 1. Tract. I P. I. Sect. 2. c. 7. de sensu veri & Falsi lib. 2. c. 4. in Physica divina lib. I. Cap. I. Sect. I. §. 40. sqq. & M. POPPO in spinozismo detecto oder Vernünftigen Gedancken von dem uvahren Unterscheid der Philosophischen und Mathematicischen Methode , cum quibus conferri possunt CAMINI Vindiciae Methodi Mathem. adversus Rudigerum , & Continuatio earundem Responsioni Auditoris Rudigeriani opposita atque M. TILESII Diss. von der Art zu urtheilen in der Philosophie und Mathematic , tujus annotationes objectionibus Poppianis respondent. Paucis instar consecutariorum ex antecedentibus Veritatibus deductorum indicabo fontes solutionum præcipuos. Quamvis per objectum Possibile Mathesis pura a reliquis Philosophiaæ partibus differat , methodus tamen ideo non distinguitur , & nihil obstat , quo minus eadem methodus in veritatibus existentium objectorum demonstrandis adhiberi possit , imo debeat. Falsum est definitiones Mathematicas sensum repudiare , cum circa sensibilia unice versentur , & inspectione sensibilia inveniantur. Falsum est , in Mathesi ex pluribus propositionibus confici unam , in Philosophia plures ex una : siquidem ex unico Axiomate ; Quæ eidem tertio sunt æqualia , ea inter se etiam sunt æqualia , innumera Theoremeta & Problemata concluduntur. Falsum est Mathematicam veritatem perpetuo respuere regulas Syllogismi. Falsum est divisiones philosophorum ordinarias esse genus & speciem , Mathematicorum Totum

sum & partes, utraque enim divisio in utraque scientia æque frequens est. Falsum est solum Philosophum post definitionem dividere, cum Mathematicus e. g. circa lineas, figuras, Triangula, Quadrangula, Corpora idem facere soleat & teneatur. Falsum est Philosophum sine Axiomatibus immediate ex definitionibus ratiocinari posse. Falsum est ratiocinia Mathematica nisi sola dependentia partis a toto, totius a parte, siquidem de paucissimis demonstrationibus Geometricis id asseri potest. Paralogismi a Cartesio, Spinoza, aliisque in applicatione Methodi Mathematicæ commissi, ipsius methodi ~~æ~~ρεβειαν non infringunt, alias enim nulla omnino esset Philosophiæ methodus, quid? quod accuratori Methodi Mathematicæ applicatione Spinozismi errores & περιτονψευδος unice demonstrari possunt. In plerisque autem horum argumentorum deprehendo vitium in comparationibus admodum frequens, considerantur ex utraque parte (nimis demonstratione Philosophica & Mathematica) exempla quædam inter se diversa, quod de quibusdam vere fuit observatum, tribuitur omnibus, quod accidentale tantum est, esse entiale existimatur, atque ita formatur conclusio, methodum Mathematicam in universum & essentialiter differe a philosophica, cuius tamen conclusionis falsitas statim elucescit, modo vel alia exempla utriusque demonstrationis substituerimus, vel (quod præcipuum est) entiales utriusque & perpetuas partes inter se contulerimus.

§. XI.

Non autem unius generis & ejusdem perfectionis omnes *Discrimina-*
 sunt demonstrationes Mathematicæ, plura namque earundem ge*nra* jam ob*servarunt* C. RENALDINVS *de Mathema-*
tum Natura atque constitutione lib. I, c. 31. qui etiam integro *Mathemati-*
cap. 27. de Paralogismis sive Fallaciis Mathematicis, ipsorumque *discrimina*
diversis modis atque fontibus copiose agit; JO. WALLISIVS
in Mathesi. Universali, Operum Mathem. Tom. I. p. 23. M.
 FIRNHABER *in Diss. priori sub presidio S. R. D. KLAUSINI-*
GII Witteb. 1715. edita de Methodo demonstrandi Mathema-
tica ad res Theologicas non applicanda Aphorismo 3. aliquie. Non
 D. *moris*

morabor nunc discrimen Mathematicorum Veterum ac recentiorum, quorum hi complures demonstrationes compendiosas atque faciles fecerunt, a veteribus non sine tardiosa prolixitate traditas, neque de Paralogismis nunc prolixius agam, sed varietatem demonstrationum Mathematicarum nomine suo dignarum considerabo, ut vel exinde harmonia ipsarum cum demonstratione Philosophica denuo cognoscatur. Primum aliis demonstrandi modus est *directus*, alias *indirectus*, illum *ostensivum*, hunc *ducentem ad impossibile vel absurdum* appellant. Ob posteriorem in primis frequentius, quam par & necessarium fuerit, adhibitum Mathematicos carpunt CLERICVS Long. Part. 3. cap. 12. §. 6. Ars Cogitandi Part. 4. cap. 9. Concedit Celeb. WEIDLERVS in Diff. Wittembergensis de A. 1713. cui tit: Vindiciae Mathematum §. 13. parcus esse adhibendam hanc demonstrationem, consentit autem in eo cum adversariis suis, quod directa demonstrandi ratio potior, & indirecta nonnisi deficiente directa sit usurpanda. Ceterum in Philosophia etiam demonstrationem indirectam, citra certitudinis detrimentum adhiberi posse saepiusque adhiberi debere, argumenta a falsitate posterioris ad falsitatem prioris, Propositionum contradictorie oppositarum conditio, qua ex falsitate unius veritas alterius concluditur, pleraque applicationes Axiomatis illius: Impossibile est, idem simul esse & non esse, probationes Axiomatum, quæ nonnisi indirecto modo institui possunt, aliaque documenta ostendunt. Secundo ostensiva demonstratio vel est *per ob* vel *per dictum*, cum qua distinctione ferme convenit discrimen inter demonstrationem a priori & a posteriori (vid. B. ROETENBECCII Log. Qu 21. 25. & conf. WALLISIVS locs cit.) Demonstrationem a Causa petitam Demonstrationi ab effectu longe præferunt Aristotelici, imo solam Demonstrationis nomine dignam judicant (v. RENALDINVS l. c. VIOTTVS de Demonstratione lib. 4. c. 10.) vel male intellecto Aristotele Causam Analyticam confundentes cum Metaphysica, vel talem fingentes demonstrationis ideam, ut exemplum ejusdem proferre nequeant, qua de causa gravissime ipsos perstrin-
sic

xit NIZOLIVS lib. de veris principiis contra Pseudo-Philosophos.
 In Mathesi nullæ vel paucissimæ demonstrationes ex Causa Metaphysica petuntur, quædam ex conceptu vel definitione deducuntur, quas demonstrationes a priori nominant, pleræque ex effectibus concludunt. In Philosophia nullæ vel paucissimæ sunt ex Causis demonstrationes, multæ ex conceptibus, pleræque ex effectibus; quamvis enim in moralibus leges naturales ex Causa, h. c. Deo Demonstrari videantur, hujus tamen supremi Numinis cognitionis argumentis effectuum ultimo innititur, neque inde certitudini ratiociniorum quidpiam decedit, modo conclusio ex necessario veris principiis necessario nexu deducatur. Tertio quædam demonstrationes Mathematicæ præter ideas & definitiones supponunt constructionem aut Mechanicam effectuonem e. g. tres angulos cujusque trianguli æquales esse duobus rectis probatur per lineam, quæ basi ducenda est parallelæ, ut habeantur anguli alterni, verticales, interni, externi, ex quorum comparatione demum Theorema demonstratur; similiter duo Triangula vel uno angulo & duabus lineis ad hunc angulum, vel una linea & duabus angulis ad hanc lineam, vel tribus lineis inter se æqualia, prorsus quoad lineas & angulos inter se esse æqualia inde probatur, quod ejusmodi triangula sibi mutuo imposita necessario congruant; quædam sine talibus constructionibus & positionibus Mechanicis ex solis ideis & Axiomatibus concludunt. Hanc perfectiorem, illam imperfectiorem existimo, mirum igitur non est, a PERERIO *de rerum naturalium principiis lib. 3. c. 4.* illius prius exemplum, a PELETARIO citante B. STVRMIO in Mathesi Juvenili Tom. I. p. 324. posterius imperfectioris demonstrationis exemplum impugnatum fuisse & rejectum. Non ignoro, ipsam mechanicam constructionem & operationem non semper requiri, sed sufficere imaginationem ejusdem; concedo necessarias plane & universales esse veritates: *cuilibet linea duci vel ductam concipi posse parallelam lineam; quævis triangula sibi mutuo imponi aut imposta concipi posse*, unde sequitur, firmissimas atque certissimas has etiam esse demonstrationes; Ipsi tamen Mathematici sentiunt atque

D 2

faten-

facentur imperfectionem earundem comparativam, ita ut ob defectum meliorum his contentos esse oporteat. Ita STVRMIVS l. c. simplici, inquit, mentis intuitu veritas Theorematis evidentissime conspicitur, tanquam principii ejusdam, quod aliam, quam ejusmodi demonstrationem non admittit. Jam vero cum in Mathesi pauca non tantum Problemata sed etiam Theorematata sint, in quibus non construendum aliquid & efficiendum sit prius, ut demonstretur id, quod proponitur, quæ verba sunt CLAVII ad Prop. I. Euclidis, in Philosophia autem nulla talis demonstratio, vel quidam eidem *αναλογον* reperiatur, insignis inde conspicitur demonstrationum Philosophicarum prærogativa. Fateor tamen male me semper habuisse, quod allegata Theorematata, quorum prius ceu Specimen demonstrationis Mathematicæ ab Aristotele aliisque allegatur, alterum præcipuis Praxeos Geometricæ Problematis fundamenti loco inservit, perfectiori modo nondum fuerint demonstrata, ideoque de supplendo hoc defectu sàpius cogitasse, neque irrito conatu. Quoad prius recordabar Triangulum omne, quando area ejusdem est invenienda, concipi ceu dimidium Parallelogrammum ejusdem baseos & altitudinis: ast omnis Parallelogrammi angulos æquales esse quatuor angulis rectis quoad rectangula, ex definitionibus manifestum est, quoad obliquangula ex genesi earundem possibili per regulam parallelarum linearum cognovi, porro omne Parallelogrammum, quando in duo Triangula æqualia dividitur, vel divisum concipitur, per Lineam Diagonalem, ita dividitur, ut simul anguli oppositi dividantur: Ex his recta via, & nisi fallor, perfectiori demonstratione inveni, cujusvis Trianguli tres angulos simul sumtos non posse non esse æquales duobus rectis. Hoc meum *ευρημα* paulo post in RENALDINI lib. cit. cap. 12. ubi eandem hanc Propositionem duodecim distinctis demonstrationibus probat, numero 4. legere non sine voluptate licuit. Quod ad alteram attinet Propositionem, concipio Triangulum ceu angulum, cuius crura ratione longitudinis primum erant indeterminata, post determinabantur, ducta linea ab uno illorum determinationis punctorum

ctorum ad alterum : Exinde statim colligo , sine mutua illa & imaginaria impositione , Triangulum quodvis alteri prorsus esse æquale , modo uno angulo & duobus cruribus ipsi sit æquale , quod pri-
mum erat Theorematis membrum . Ipsam hanc demonstrationem
jam proposui *Cursus mei Philosophici Tab. XI.* qua Geometriæ Com-
pendium exhibeo . Simili modo demonstro , triangula quod ba-
sin & duos angulos ad basin æqualia prorsus esse æqualia : conci-
pio duo Triangula ceu duos angulos ad unum baseos extremum
se æquales , cum vero bases sint æquales , adeoque alterum ejus
extremum æque determinatum , denique angulus ad hoc alte-
rum extremum utrobique æqualis is , linea tertia ita determinata
non potest non utrobique angulum æqualiter claudere , ut Trian-
gula sint perfectissime æquila , Q. E. D. Tandem duo Triangula
tribus lineis prorsus esse æqualia ex chorda arcus , quo angulum
metimur , utrobique æquali concludo , unde patet duo hæc trian-
gula angulo uno , duabusque hujus anguli cruribus , esse æqualia ,
adeoque per demonstrationem membra I. prorsus æqualia . Non du-
bito , quin pari felicitate plures imperfectiores demonstrationes mutari
possint in perfectiores , Quarto in ratiociniis Matheseos mixtæ & Phi-
losophiæ adhibetur quandoque hypothesis probabilis , ob quam totum
argumentum , ipsaque conclusio (quæ hoc etiam in sensu partem de-
biliorem sequitur) certitudine destituuntur ; certa enim esse nequit
conclusio , nisi omnes ejusdem Præmissæ sint certæ .

§. XII.

Generalibus , quas de Methodo Mathematica hucusque dedi , *Specalia*
monita de
observationibus speciales nunc subjicere oportet , de partibus ejus-
dem præcipuis , essentialibus , Præmissis h. e. Definitionibus & Axiо-
matibus . *definitionibus.*
Quantumcunque sit alias inter definitiones nominales
atque reales discrimen , in Mathesi tamen Pura istud secure ne-
glitur , siquidem objecta ipsius ita sunt comparata , ut neque
plura , quam in definitione imperfectiori h. e. nominali com-
prehenduntur , neque pauciora , quam definitio perfectior h. e. realis
exprimit complectatur , adeoque definitio nominalis & realis
coincident , id quod exempla figuram satis declarant , quibus et-

D 3

iam

iam de causis definitiones reales demonstrationibus loco fundamen-
torum præmittere licet : Ast in Philosophia admodum differunt a
nominalibus definitionibus reales , quæ plerumque ultimum locum
in veritatum inventione occupant , difficiles sunt , conclusiones vel po-
tius plurimum conclusionum Compendia . Facile igitur mihi persuase-
rant Logici atque Mathematici e. g. STVRMIVS in *Mathesi Juven.*
p. 319. definitiones in Methodo Mathematica adhibitas esse nomi-
nales , cumque nonnisi arbitrariæ acceptiones & explicationes sint ,
extra disputationis aleam positas , ideoque demonstrationes quascun-
que commode ab iisdem inchoari , postea vero , cum in IUL LEIB-
NITII saepius laudatis *Meditationibus de Cognitione in Act. Erud.*
Lips. A. 1684. legissem , Hobbesium ex eodem capite concludere .
Veritates esse arbitrarias , mox in scepticismum incidissem , nisi tem-
pestive succurrisset distinctio inter nominis impositionem & nomi-
nis impositi explicationem , quamvis enim illa sit aut minimum
fuerit arbitraria , hæc tamen minime est arbitraria , sed attributa
rei , nomine definiendo insignitæ , realia , perpetua , cognitu faci-
lia recensere tenetur , e. g. quamvis bovis nomen potuisset animali
volatili bipedi assignari , nunc tamen , impositione facta , non potest
per animal bipes pennis instructum definiri , sed animal grandius ,
quadrupes , cornutum , mugiens describi debet . Ex his porro se-
quitur aut non omnium rerum dari definitiones nominales sine pro-
batione certas atque indubias (ita nimirum Theologia Naturalis
& Philosophia Moralis carerent definitionibus nominalibus &
demonstrationibus) aut non omnes definitiones citra probationem
assumi , & fundamenta demonstrationum haberi posse (ita e. g. Dei
& entium moralium definitiones nominales adhiberi possent , ad in-
telligendas & ab ambiguitate liberandas Conclusiones , non autem
ad demonstrationem earundem) De meliori igitur & securiori de-
monstrationum fundamento sollicitum recurrere oportuit ad ideas ,
harumque origines , quas in sentatione & reflexione quærendas esse ,
ex LOCKII præcipue libris de intellectu Humano didiceram . Nem-
pe Mens nostra rerum corporarum ideas individuales singulares pri-
mum

mum nanciscitur a rebus ipsis per sensationes, ita ut objecta unice agant
 in organo sensorio, Mens autem recipiendo easdem passive se ha-
 beat, &, dum omnino ab actione in producendis his ideis abstinet,
 male agere, atque corrumpere easdem nequeat; istæ ergo ideae
 sunt reales, h. e. rerum existentium representationes, verissimæ,
 certissimæ, clarissimæ, distinctissimæ, atque uniformes apud omnes
 omnino homines, qui eadem objecta ipsorumque partes similibus
 organis sensoriis similique attentione & passione mentis experiuntur.
 Proprias actiones & passiones Mens reflexione, quam etiam con-
 scientiam sui appellant, addiscit pari certitudine, veritate, charitate,
 realitate, uniformitate. Post comparat Mens nostra singulares has sen-
 sationis & reflexionis ideas (quas primas nominare liceat) atque sepo-
 sitis iis, in quibus differunt, unice ea tenet, in quibus conveniunt (id
 quod abstractionem nominamus Universalem) hac autem in repræsen-
 tatione consistit idea abstracta universalis, quæ æque realis, certa, clara
 est, ac quævis idea prima: unice enim in eo differt idea ejusmodi uni-
 versalis abstracta ab idea prima, quod illa seorsim exhibeat, quæ in hac
 junctim cum aliis attributis repræsentantur. In his ergo ideis primis &
 universalibus, quæ exprimis abstractæ sunt, prima habemus cognita,
 prima eaque indubia fundamenta omnium demonstrationum. Ergo
 illorum objectorum, quæ neque sensus afficiunt neque ad reflexionem
 pertinent, e. g. Deientium moralium, insensibilium minutiarum corpo-
 rearum, Angelorum, ideas, existentiam & idearum realitatem primum
 probare oportet, nunquam autem sine probatione supponere licet.
 Ergo definitiones, sive nominales sint sive reales, modo ideas primas, &
 universales ex primis abstractas accurate exprimant, fundamenta legi-
 tima sunt, demonstrationum, sicubi vero verba deficiunt & definitiones,
 ideae sufficient, sine ideis autem vacui toni inutiles sunt. Definitio rea-
 lis mihi est recenso attributorum essentialium constitutivorum s. est
 conceptus primus, unde reliqua attributa deducuntur. Descriptio est
 recensio attributorum essentialium consecutivorum, propriorum, quæ
 relationem essentiæ ad accidentalia involvunt. Qu mādmodum vero
 essentia unius rei est una, propria autem plura esse possunt, ita unica
 datur

datūr unius rei definitio realis, descriptiones autem esse possunt innu-
 meræ atque singulæ in demonstrationibus adhiberi, modo ad ideas pri-
 mas fuerint reductæ. Definitio nominalis attributa rei continere de-
 bet perpetua, uti supra initio hujus §. observavi, ergo vel est defini-
 tio realis vel descripto, Discrimen quod Celeberrimus WOLFFIUS
 cum LEIBNITIO inter definitiones nominales & reales statuit e. g.
 in *Diss. de Methodo Mathem.* §. 17. 18. exiguum est aut nullum.
Nominalis dicitur enumeratio notarum ad rem oblatam ab aliis di-
 stinguendam sufficientium ; *Realis* notio distincta rei genesis h. e. mo-
 dum quo fieri potest, exponens. Nihil enim obstat, quo minus genesis
 inter notas illas definitionis nominalis referatur, quo ipso cadit omne
 discrimen : Deinde genesis non pertinere ad definitionem exemplo
 Circuli facillime ostendam ; definitur is quod per motum linea recta
 circa punctum fixum describi concipiatur : genesis aut intelligitur
 actualis aut possibilis : Si prior, accidentalis esset hæc explicatio, si-
 quidem circulus esse potest alia ratione constructus, adeoque neque
 descriptio esset, neque definitio nominalis, neque realis : de possibili
 igitur genesi intelligenda est Circuli definitio : Verissimum quidem
 est, omnem Circulum hac ratione generari posse, verum id est pro-
 prium consistens in relatione essentiæ ad accidentalem illam circuli
 constructionem, fundatur autem ceu conceptus secundus in defini-
 tione Euclidea : Circulum esse figuram planam sub una linea com-
 prehensam, quæ peripheria appellatur, ad quam ab uno punto eorum,
 quæ intra figuram sunt posita, cadentes omnes rectæ linea inter se sunt
 æquales. Ex hac demum definitione intelligimus omnem circulum
 posse generari linea rectæ circa punctum fixum gyratione. Ergo
 hæc Euclidea est genuina definitio per §. 3. *Diss. cit.* qua Definitio
 in genere dicitur prima rei notio, cuius ope distinguitur ab aliis
 & unde, quæ de ipsa concipiuntur, reliqua deducuntur : Gene-
 tica autem definitio nonnisi descriptio est aut definitio nominalis.
 Quæ de definitionibus cogitationum clararum & obscurarum, distin-
 ctarum & confusarum monui in Observ. Eclecticis ex Controversiis
 de Metaphysica Leibnitio-Wolffiana Spec. III. §. 2. 3. nunc non
 repe-

ALERO

tam. Neque sententiam de origine idearum Lockianam contra WOLFFIVM propugnabo , qui in Metaphysica eandem destruxit, in Praxi Logica adstruxit v. Observ. mearum Eclect. Specim. I. §. 16. not. a.)

§ XIII.

Axiomata sunt Propositiones ex duabus ideis universalibus , ^{de Axiomatisbus.} quas abstractio ex ideis primis suppeditavit ; compositæ , ubi sola comparatio Subjecti & Prædicati necessariam affirmationem vel negationem docuit. Ex idearum igitur suarum evidētia certitudine ac realitate Propositiones istæ propriam habent evidētiam certitudinem ac realitatem quam Theorematum ex aliis Propositionibus , & ultimo ex Axiomatibus mutuo petunt. Ergo probatione non indigent , neque probari directo possunt : terminorum enim explicatio , sive substitutio definitionum in locum definitorum non est probatio : indirecta autem probatio Axiomatis ostendit contrarium esse absurdum , unde Axiomatis necessitas h. e. maxima Certitudo elucescit. Exinde etiam patet , Propositiones , quarum una vel utraque idea non ex sola abstractione idearum primarum , sed interveniente judicio aut ratiocinio orta est (quales sunt idea Dei , & pleræque ideæ morales e. g. pacti) Axiomatibus annumerari non posse. In parato nunc sunt characteres discernendi Axiomata genuina a spuriis & medela Metaphysicæ vulgaris , conf. Specimen meum I. Observ. & Emend. Metaph. Präf. §. 1. Hic neglectum sui vindicat origo idearum apud Celeberrimum WOLFFIVM , ideo enim , quod Ipsius ideæ fundamento in rebus carent , loco Axiomatum assumendæ Ipsi videbantur Propositiones identicæ : Disl. cit. §. 33. *Immo , inquit , si verum fateri fas est axiomata non sunt nisi propositiones identicæ.* Hinc in Latinis Matheſeos Elementis varias reperire licet Propositiones ad instar Theorematum demonstratas , quæ in Germanicis Axiomata nominantur. Rectissime B. KOCHIVS Helmstadiensem Celeberrimus Theologus atque Philosophus in Epistola ad D N. WOLFFIVM (quam exhibent Annales Academiae Juliae Semestri III. p. 194. seqq.) urget nihil dicere Propositiones identicas , neque Propositionibus esse

E

accen-

accensendas propter ipsam Wolffianam Propositionis definitionem Log. c. 3. §. 2. Wenn wir urtheilen, verknüpfen wir wenigstens zwey Begriffe miteinander, oder trennen sie voneinander. Responso WOLFFII l. c. p. 197. sqq. reperiunda huc tendit, usum propositionum identicarum in Algebra æque ac Geometria esse inevitabilem, ita ut e. g. in Geometria sèpius assumendum sit instar præmissæ rectam $A B$ esse rectæ $A B$ h. e. sibimet ipsi æqualem, aut si mavis, prorsus utendum sit hoc Syllogismo: Omnis recta est sibimet ipsi æqualis: atqui recta $A B$ est ipsa recta $A B$, ergo sibimet ipsi æqualis. Neque enim assumere licet instar præmissæ in aliquo Syllogismo, esse $A B$ ipsi $A B$ æqualem, nisi mediante hoc Syllogismo; cum alias nulla appareat ratio, cur hunc præmissam assumamus ex intuitu figure, in qua recta $A B$ occurrit: Conferri cum his merentur exempla Analyseos perfectæ in Elementis Arithmeticæ Latinis §. 73. sqq. extantia, ubi ex Axiomate: *Idem est æquale sibimet ipsi*, ceu Theorematâ demonstrantur: *Totum est majus qualibet sua parte*; *Totum est æquale omnibus suis partibus simul sumtis*; Ast quæ necessitas, quis usus eo nos adigere possint, ut contradictorio conatu Propositiones existimemus, quæ per definitionem non possunt esse Propositiones, ut Syllogismum existimemus, qui ne quidem una est Propositio? Proposita de ideis & Axiomatibus monita declarant, sine omni probatione certissimas esse has Propositiones: *Totum est majus parte*; *Totum est æquale partibus simul sumtis*; vel accuratius: *Totum nihil est aliud quam partes simul sumtae*; æqualitas enim est species comparationis, omnis comparatio minimum duo requirit, quæ comparantur; est ergo contradic̄tio in adjecto, rem aliquam sibi ipsi esse æqualem. Non ergo omnino injuste accusantur Mathematici ab Auctore Artis Cogitandi & CLERICICO ll. cc. quandoque probare, quod probatione non indiger. Neque sufficit provocare ad tritum illud. Superflua non nocent; error enim adeoque damnum est, Propositionis, imo Syllogismo loco habere, cui definitiones Propositionis & Syllogismi minime competunt; inde mala oritur
con-

confuetudo vacuis adhærendi sonis atque vocabulis, atque dum non attenditur propria Axiomatum evidētia, ut major quæratur, fallimus hinc est in Pyrrhonismum lapsus, quod DN. de CROSA obseruavit Log. Part. 2. cap. 5. §. 7.


§. XIV.

Certissimum ergo est, easdem esse philosophicæ ac Mathematicæ demonstrationis partes essentiales; æque autem certum est, methodum hanc, sive Mathematica dicatur, sive Philosophica, locum non habere, ubi nullum inveniunt locum demonstrationes philosophicæ. Ergo applicari nequit in probabilibus disciplinis, quales sunt e. g. Critica, Historia, & magnam partem Physica: Ergo non quadrat ad disciplinas, quæ sine ratiocinio certæ sunt, sive per experientiam, sive per Axiomata, sive per divinam revelationem: Ergo locum non habet in Physica Experimentali, & plerisque Mathematicos mixtæ partibus, quæ experimenris nituntur, e. g. Mechanica, in Ontologia, in Theologia revelata. Quæ in contrarium proferuntur, vel concernunt probationes Mathematicis tantum analogas, vel intendunt demonstrationes hypotheticas, quæ non sunt veræ demonstrationes, cum conclusiones producant minime certas, vel confundunt externum fallax schema cum essentialibus Methodi Mathematicæ partibus, atque aliam observant in proponenda veritate methodum, quam quæ in veritate invenienda observari debebat atque poterat. De Methodi Mathematicæ applicatione ad Theologiam inter se conferri merentur duæ Dissertationes, altera præside B. STVRMIO a SCHVLENBURGIO Altdorfii habita A. 1694. quæ Mathematicin ejusquam indolem Theologie applicandam esse affirmat, altera Wittebergensis Anno 1715. M. FIRNHABERI de Methodo demonstrandi Mathematica ad res Theologicas non applicanda.

§. XV.

Vltimo tandem loco paucis ventilabo quæstionem ab Autore *An Mathematica mit ihr selbst streitenden Harmonie der Neuen Welt-Weisen* ^{maticus esse possit Metaphysicus?} p. 96. sqq. motum, an excell. Mathematicus simul etiam possit extapbyscens ^{possit Metaphysicus?} cellere

zellere in Metaphysica & reliquis, quæ ex hac dependent, Philosophicis scientiis? Non morabor loca excerpta ex CARTESSII Epist. 33. Part. 2. WOLFFII §. 861. Metaph. & Præf. secundæ editioni præmissa, quæ, ceu ingenuas confessiones, negativæ favere responsioni existimant. *Autor Anonymus l c. S. R. D. LANGIVS Ausführl. Entdeckung der Wolffianischen Philosophie p. 266.* Clariß. WALTHERVS in *Eröffneten Eleatischen Gräbern p. 33. edit. post.* Notissimum est, summos Mathematicos in aliis disciplinis, ipsaque Mathesi mixta, quandoque gravissimos commisisse errores. v. BECHERI *Weise Narrheit.* Quando vero in causas horum lapsuum inquirimus, præcipuæ istæ videntur, quod neglecta objectorum diversitate possibilia & ficta cum revera existentibus, abstracta cum concretis, Intellectum Purum cum Imaginatione commiscuerunt, spiritualia ad imaginabiles & Mechanicas rationes exigere voluerunt, externo Methodi Mathematicæ schemate infallibilitatem quandam sibi polliciti in definitionibus, Axiomatibus & ratiociniis humanum quidpiam passi sunt; quas Syrtes cum præternavigare licet, non video, quid obstet, quo minus excellentes Mathematici in Metaphysica etiam ex reliqua Philosophia possint excellere, in primis cum demonstrationibus suis habitum aliquem accurationis sibi acquisiverint, in aliis scientiis, mutatis mutandis, optime applicandum. Exemplorum loco nomine *Illustrem LEIBNITIVM & Celeberrimum WOLFFIVM*, e quorum doctrinis Philosophicis, quamvis cœco ductu easdem non amplectar, sed a nonnullis publice, ea tamen, qua par est, modestia dissenserim, multa me didicisse, grata mente profiteor.



Coll. diss. A. 33, misc. 48